MANICHAEORUM

INDULGENTIAS

CUM

BREVI TOTIUS MANICHAEISMI
ADUMBRATIONE

E FONTIBUS DESCRIPSIT

AUG. FRID. VICT. de WEGNERN,
PHILOSOPHIAE DOCTOR, ET R. MIN. CANDIDATUS,

LIPSIAE
PROSTAT APUD C. H. RECLAM.
MDCCCXXVII.

VIRIS ILLUSTRIBUS

AUGUSTO HAHN

THEOLOG. D. ET P. P. O. IN ACAD. LIPSIENSI,

PRAECEPTORI, STUDIORUM ADJUTORI, AMICO,

ET

CAR. LUDOV. AUG. de WEGNERN

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI ET PROVINCIALIS IN ORIENTALI BORUSSIA JUDICII PRAESIDI SUMMO,

PATRI DILECTISSIMO

HOC ANIMI GRATI ET INTIMI AMORIS TESTIMONIUM AC PIGNUS

OFFERT

AUCTOR.

INDEX.

PROLEGMMENA.

PARS PRIOR.

Totius Manichaeorum doctrinae expositio.

Caput I. *Manetis Theologia.*

Caput II. *Manetis Cosmologia.*

Caput III. *Manetis Christologia.*

PARS ALTERA.

De indulgentiis sive peccatorum remissionibus, quas Manichaei exercuere.

PROLEGOMENA.

§. 1.

De auctoribus praecipuis, qui hucusque de rebus Manichaeorum egerunt.

Inter omnes, quoquot e vetere ecclesia prodierunt, haereticorum doctrinas, fere nulla aeque inclaruit, ac *Manichaeorum* doctrina, quae abstrusis mysteriis et speciosa eaque fallaci sapientia animos profundiorem rerum humanarum divinarumque cognitionem expetentes alliciendo multos vel sagacissimos viros fuco suo decepit, et paene per totum orbem terrarum divulgata, letifero halitu etiam postera hominum genera inquinavit. Hinc parum mirandum foret, si doctrina, quae olim tot tantorumque hominum mentem fascinavit, recentioris aevi virorum discendi cupiditatem excitasset: neque tamen multi hanc materiam pertractandam sibi sumserunt; qui vero eam attigerunt, tanti nominis sunt viri, ut is,

qui eorum libros suo iudicio submittere conatur, facile in petulantiae vituperium incidere possit, nisi verba sua et maximo veritatis amore et summa modestia temperaverit.

Primus nobis, hanc historiae partem ingredientibus, heros artis historicae obvenit *Bellesobrius* [1]), vir et eruditione et ingenii acumine insignis, cuius opus admiratione, quam omnibus movit, dignissimum totam rem absolvisse posterisque nihil reliquisse visum est. Thesaurum confecit historiae ecclesiae veteris, praecipue vero historiae haereticorum; namque fere omnium gnosticorum doctrinae aeque atque antiquorum philosophorum placita, quae unquam in christianam religionem vim exercuere, in eo exponuntur, locaque variorum systematum difficilia mira sagacitate consultis fontibus diversisque virorum doctorum sententiis collatis, illustrantur. Sed ex his omnibus iam intelligi poterit, multa huic operi inesse, quae, per se laudanda et amplectenda, non illius sint loci, iustoque rerum nexu interrupto, ordinem materiarum, in libro tanti ambitus perquam necessarium, saepius omnino destruant [2]).

---

1) Histoire critique de Manichée et du Manicheisme par *M. de Beausobre*. Amsterdam 1734. 1739. II. Voll. 4.

2) Testem beatum evocamus *Walchium*, qui (in libro mox nominando) nostram sententiam his ver-

Gallum excipiat Germanus, vir omnium laude celeberrimus, *Moshemius* [3]), qui Bellesobrii merita quidem agnoscens, propriam tamen viam ingressus est, et Manetis doctrinam iusto modo et ordini adaptare studuit. Quamquam recte Moshemius id perspexit, in quo Bellesobrius erraverit, quod nimirum hic studio, haereticos ab iniustis invectionibus falsisque iudiciis defendendi, saepissime ultra veritatis fines agatur, tamen et ipse medium tenere nescivit, et interdum Maneti aliquid affinxit, quod ab illius mente pro-

bis probat. „*Es wird allezeit eine sich reichlich belohnende Arbeit seyn, mit diesem Buche eine genaue Bekanntschaft zu errichten. Allein, dass wir solches für das einzige und durchgehends zuverlässige Mittel, die Manichäische Lehre daraus zu erlernen, erkennen und anpreisen sollten, können wir von uns nicht erhalten. Die ermüdende Weitläufigkeit, die den Zusammenhang zu oft störende Menge von ganz unerwarteten Ausschweifungen, die Tadelsucht sind noch erträglich: allein dieses, dass der Geschichtschreiber zu oft Advokat wird und dabei allerlei Advokatenkünste anwendet, erfordert zu viel Kenntniss der verschwiegenen oder verkleideten, obgleich historischen Wahrheit, als von denen erwartet werden kann, die erst lernen wollen.*"

3) *J. L. Moshemii* commentarius de rebus christianis ante Constantinum m. Helmst. 1753. 4. pag. 728 — 903.

fecto alienum fuit, cuius rei testimonia in dissertatione sequenti legentur.

Utriusque vestigia pressit *Semlerus* 4), qui ita Manichaeorum placita descripsit, ut ex illorum scriptis ea deligeret, quae uterque optime excussisse ipsi visus est, intermixtis hic illic suis iisque acutis observationibus. Neque tamen ipse fontes penitus exhausisse videtur.

Summa quoque laude nominandus, qui cum priore eodem tempore eandem rem tractavit, *Walchius* 5), qui scriptorum antecessorum, laudabili epicrisi subiectorum, indagationibus bene usus, Manichaeismum breviter quidem, sed clare et dilucide exposuit; quamvis haud multa apud eum inveneris ab aliis nondum animadversa.

His virorum insignium libris etiam iungendus est libellus *Reichlini* 6), qui nuperrime prodiit et paucarum paginarum volumine totam rem absolvit. Brevior hic liber est, quam qui

---

4) Vid. *I. Sal. Semler histor. Einl. zu Siegm. Jak. Baumgartens Untersuchung theologischer Streitigkeiten (mit Anmerk. von Semler) Bd. I. Halle 1762. pag. 266 — 311.*

5) *Christ. Franz. Walchs Entwurf u. vollst. Historie der Ketzereien etc. bis auf die Zeit der Reform. Leipz. 1762. Bd. I. p. 685 — 823.*

6) *Die Theologie des Magiers und ihr Ursprung aus den Quellen bearbeitet von K. A. Freih. v. Reichlin-Melldeg. Frankf. a. M. 1825. 8.*

ad scopum nostrum pertinentia tangere possit: totus est in eo, ut Manetem pantheismum quendam absolutum docuisse, eamque doctrinam ab antiquis religionis auctoribus repetiisse, probet.

§. 2.

Quid hanc rem denuo aggressuro spectandum sit.

Quum viri tantae eruditionis tantique ingenii in tractanda et enucleanda Manetis doctrina iam praeiverint, fortasse vel arrogantiae crimen subire, vel supervacaneum opus suscepisse videatur, qui denuo eam recolere conetur. Sed hic timor desinet, quando fontes accuratius inspexeris eosque neque exhaustos, neque satis viris doctis cognitos videris, quum in Manichaeismo adhuc plura sint nondum satis clare illustrata, imo in lucem demum protrahenda. Ut unum tantum attingam, nemo hucusque sacrum canonem Manetis sedulo observavit, licet Augustini libri contra Faustum, et quae ex haeresiarchae scriptis Augustinus affert fragmenta, admodum invitent, ut non modo constituere coneris, — quod etiam alii fecere [1]) — quosnam e novi testamenti libris amplexus sit Manes; sed etiam ea singula loca describere, quae hic secundum sublimiorem

---

1) *Beausobre* Vol. I. p. 291 sqq.

quam habere sibi visus est, rerum divinarum cognitionem, e libris removerit, et hac ratione, quoad eius fieri potest, Manichaeorum canonem restituere. Neque nobis displicet, idoneum nactis et tempus et locum, haec quoque, nisi alius quis tractare voluerit, accuratius exponere. Hac igitur ratione, singulis partibus definiendis et constituendis totum aliquando systema in eam lucem prodibit, qua in praesentia eget. Unde eum, qui tale munus susceperit, opus haud ingratum perficere opinor.

§. 3.

De fontibus, e quibus haustum est.

Fontibus omnibus, e quibus hucusque auctores hauserunt, recensendis hic supersedere possum, quum *Bellesobrius* (diversis libri sui locis), *Moshemius* (l. c. p. 728 — 733) et *Semlerus* (l. c. p. 266 — 273) ea de re fusissime et doctissime egerint: sed quum non omnibus utendi mihi facultas data sit, eos nominabo, quos adire mihi licuit. Ante omnia ipsius *Manetis* scripta curanda videntur, quae tamen omnia cum temporum, tum praecipue adversariorum eius invidia, exceptis paucis fragmentis deperdita sunt. *Augustinus* vero in scriptis suis passim ex Manetis celeberrima *fundamenti epistola*, quam dixerunt, fragmenta haud contemnenda conservavit, et ex eiusdem libro, (cui

Thesauri nomen dederat, unum locum exhibet [1]; caetera, quae ex illius scriptis relicta possidemus in *Fabricii bibl. Graec. Vol. V. p.* 284 invenimus [2]. Quamvis haec tantum pauca sint et manca, inserviunt tamen doctrinae Manichaeorum seriorum comparandae cum genuina praeceptoris doctrina, quatenus ea nobis conservata est: unde intelligere poterimus ex parte saltem, utrum quae hic tradiderit, ea illi strenue secuti tenuerint, an passim ab isto secesserint; iudiciumque nostrum de placitis Manichaeorum, quae e fontibus recentioribus cognoscenda sunt, ipsius haeresiarchae effata dirigere poterunt.

Post haec librorum Manetis fragmenta animi nostri attentionem in se convertunt *Acta disputationis Archelai episcopi Mesopotamiae cum Manete haeresiarcha* [3], de quorum authentia inter viros doctos

1) Vid. *Augustin. de natura boni adv. Manich.* c. 44. Opp. T. VIII. p. 365.

2) cf. *Beausobre* I. p. 220 sqq.

3) Primum edita sunt in „*L. A. Zaccagnii collectaneis monumenti. vet. eccles. Graecae et Latinae. Romae* 1698. 4." tum prodierunt in „*J. A. Fabricii* editione *operum Hippolyti.* Hamb. 1716." pag. 134—204. Fabricius iis praemisit Zaccagnii prolegomena ad acta vet. et subiunxit plures anathematismos, Manichaeorum doctrinam damnantes. Hanc *Actorum* editionem nos secuti

lis est; *Bellesobrius* (Tom. I. p. 129 sqq.) ea vel falsata, vel ficta esse censet, *Moshemius* et *Semlerius* paulo aequius de iis iudicantes in universum antecessoris vestigia premunt. Neque negare quisquam potest, in his actis multa legi, quae falsitatis et fictionis suspicionem iniiciant. *Bellesobrius* (l. c. p. 134.) probat, neque *Strangam fluvium* (quem Manes fugitivus superasse fertur) neque *castellum Arabionis* nomine praeditum (ubi Manes latuisse dicitur), in Mesopotamia unquam fuisse. *Hieronymus*[4]) refert, Archelaum acta disputationis Syro sermone scripsisse, aliumque ea in Graecum vertisse. Sed in disputatione nonnulla sunt, quae hanc nobis sententiam dissuadent. Archaelaus enim nomen diaboli ab ipsius lapsu e coelis in terram derivat[5]), quod Graecum quidem, minime vero Syrum sapit, neque nobis innotuit nomen diaboli Syriacum, quod hanc paronomasiam admittat. Paulo inferius legimus verba „*homousios* —

---

sumus. Invenies ea etiam in *Gallandi biblioth. patrum* Vol. III.

4) *Hieron. script. eccl. c. 72.* „Archelaus librum disputationis suae, quam habuit adversus Manichaeum Syro sermone composuit, qui translatus in Graecum habetur a multis."

5) *Routh rell.* p. 327. „Ex hoc enim appellatus est diabolus, eo quod *transitum fecerit de coelestibus*, quod in terris mandato Dei existeret obtrectator."

ὁμοούσιος, —," et „Dei genetrix (θεοτόκος)," e quibus fortasse tempus constitui potest, quo acta scripta sunt. Contra vero alia non desunt, quae extra omnem dubitationem ponunt, hoc monumentum non prorsus suppositicium esse, sed aliquid veri in eo inesse. Archelaus[6]) Manetem trecentis fere annis post Christum natum exactis, sub Probo imperatore, exstitisse affirmat; suos haereticos ex serie temporum enumerans, ultimum ante Manetem Sabellium nominat; unde sequitur, eum, qui hoc scripserit, haud multo post ipsum Manetem vixisse. Sed quum haec

6) *Act. Arch. c.* 27. „Quomodo, his omnibus bene recteque dispositis ac plurimo tempore in eo statu perseverantibus, eum qui *post trecentos fere annos* venerit, et haeredem sese esse confirmet, non abjiciemus? — — — „Qui [Jesum intelligas] dixerat, se non multo post missurum esse paracletum, invenitur *post trecentos eo amplius annos* misisse hunc, sicut ipse sibi testimonium perhibet. Quid dicent Jesu — —? nonne haec apud eum alii negabunt: noli nos cruciare; cur enim promisisti sub Tiberio Caesare missurum te paracletum — —, quem *sub Probo demum imperatore misisti*." — Quae tam sunt perspicua, ut nemo dubitaturus sit, verba „post trecentos eo amplius etc.", ad quae Bellesobrius maxime provocat tanquam actorum falsitatem indicantia, non nisi hyperbolice esse dicta: nam non oblivioni solum, sed gravi vitio tribuendum esset, si quis, quae bis recte indicavit, diversa notatione sciens impugnasset.

quaestio ab instituto meo aliena sit, quumque, ne iam fusius de ea re disseruerim, verear, aliis eam inquirendam et diiudicandam relinquo.

Ex his Actis Archelai fere omnes antiquitatis scriptores, excepto Augustino, hauserunt ea, quae de Manete eiusque doctrina referunt. *Cyrillus* enim *Hierosolymit.* (324), *Hieronymus* (380), *Socrates* (429) et *Photius*, pauca tantum afferunt, quae ex illis intelligi nequeant; itaque in dissertatione nostra eorum testimonia parum curabimus, e communi eorum omnium fonte haurientes. De Epiphanio autem pauca adiicienda videntur. *Epiphanius* (376) in haeresium LXVI^ma^ de Manete agit, ita ut, 1) Cap. 1—24. nonnulla de eius vita et scriptis praemittat, quae ex parte in Actis Archelai non leguntur, at unde ea sumserit, an aliunde ea acceperit, non dicat. 2) Cap. 25—31. totam Tyrbonis, discipuli Manetis, relationem ad verbum describat, eoque occasionem det, Latinam eius versionem, quam in Actis Archelai habemus, cum Graeco comparandi et emendandi: 3) Cap. 32—87. Manetem impugnet, et singula eius dogmata perstringat, et multus sit in refutandis iis, quae de inimicitia veteris et novi test. Manes docuit.

De *Augustino* [7], proximo aetate, e cu-

---

7) Augustini operibus secundum *Benedictinorum editionem* usi sumus, et inprimis *octavo eorum tomo*,

iis libris plurima hausimus, non necesse est, ut plura dicamus; sed quae Moshemius de ipso iudicavit, reddamus: „in plerisque," inquit, „sine metu erroris Augustino duci committere sese possunt, quibus Manichaeorum mysteria intelligere nec inutile nec iniucundum videtur." Id tamen sane in Augustino vituperandum, quod interdum ingenii et sagacitatis vi abreptus magis speciosis artis dialecticae armis, quam firmis veritatis argumentis contra adversarium dimicet legentemque ita facile decipere possit.

Nominamus hic eos Augustini libros, e quibus Manichaeorum doctrina erui potest. Et uberrimum quidem fontem in Tom. octavo edit. Benedict. habemus. 1) In libro *de haeresibus* c. 46. Augustinus totum Manichaeismum breviter quidem, at egregie describit: 2) in libro *de duabus animabus* hanc Manichaeorum doctrinam convincere studet: 3) in *disputatione cum Fortunato* Manichaeo de natura animae humanae eiusque et mali origine sermocinatur: 4) in libro *contra Adimantum* eius opinionem de vetere ac novo test. velut se invicem oppugnantibus impugnat: 5) in libro *contra Manichaeorum epistolam fundamenti*, Manetis ipsius verba ac sententias de variis rebus, v. c. de natura Dei, malique principii, et de utriusque regno etc. invenimus:

---

quem, nisi alius tomi numerus adscriptus est, semper intelligas.

6) Summi autem momenti sunt triginta tres libri *contra Faustum Manich.*, in quibus fere totus Manichaeismus ab Augustino, qui in singulis eius partibus refutandis laborat, explicatur, ita ut Augustinus cuivis libro ex Fausti adversarii sui scriptis locum quendam praemittat, de quo deinde disserit. 7) Libri duo *de actis cum Felice*, disputationem continent, quam Augustinus cum eo habuit; quorum quidem prior de Manetis Paracleti dignitate agit; in altero vero disputatur „de libero voluntatis arbitrio sive ad malum operandum sive ad bonum." — 8) In libro *de natura boni* insignia sunt Manetis operum fragmenta. 9) *Secundini ad August. epistola* auctoris probum animum declarat et nonnulla de peccati natura affert. 10) Appendix octavi tomi inter alios librum *de fide contra Manichaeos* continet, qui *Evodio* vulgo tribuitur, sed parvi momenti est.

Quae ex reliquis Augustini libris ad Manichaeismum pertinentia passim collegimus, suo loco indicabuntur; ante omnia autem ablegamus lectorem ad Augustini librum *de moribus Manichaeorum*, Tom. I. pag. 533—555. in quo eorum disciplinam accuratissime describit, nonnullosque ritus depingit, quo in rem nostram bene uti poterimus.

Caeterorum scriptorum, quorum praesidium in scribendo opusculo nostro nos adiuvare potuisset, libri nonnulli exigui sunt momenti; alii

vero, ut *Titi Bostrensis* episcopi[8]) et *Alexandri Lycopolitani*[9]), qui ex ipsis Manetis libris hauserunt, nobis quidem non ad manus fuerunt, quod tamen non admodum obesse nobis potuit, qui non totum Manichaeorum systema, sed singularem tantum eius partem, quae hucusque intacta fuit, describendam elegerimus.

Iam accedimus ad eum, qui de hac re nobis est solus atque gravissimus testis, *Ephraemum Syrum* dico, qui Nisibi natus inde a Constantini Magni temporibus usque ad imperium Valentis vixit et diaconus Edessenae ecclesiae, a. 378 animam efflavit[10]). Hic vir suo tempore et pietate et eruditione celeberrimus, classicis Syrorum scriptoribus adnumeratur, ingentemque librorum molem reliquit, quorum multi, dum ipse viveret, in Graecam linguam versi, alii patrio Syrorum sermone, quo sunt confecti, maxi-

---

8) *Titi Bostrensis libri III. contra Manichaeos*, qui in *H. Canisii lection. antiq. ed. Iac. Basnage*, Tom. I. p. 156. inveniuntur, non totam Manichaeorum doctrinam depingunt, sed eam tantum eius partem, quae est de creatione, e Manetis *de mysteriis* opere haustam.

9) *Alexandri Lycopolitani* λόγος πρὸς Μανιχαίους in *Franc. Combefisii auctuario* Tom. II. pag. 260 legitur.

10) Plura de eius vita narrat *Hahnius* in *Bardesane* pag. 4—7.

mam partem editi sunt cura *Petri Benedicti* et *Steph. Evodii Assemani* [11]).

Neminem fugit, his exactis viginti et quod excurrit annis demum viros doctos litterarum orientalium studia strenue exercuisse et ad historiam cum profanam, tum inprimis ecclesiasticam illustrandam adhibuisse: unde non mirandum, nostrum quoque Ephraemum, licet centum fere ante annos editum, multorum curam latuisse, donec nostris diebus, vir clarissimus *A. Hahnius* orbi erudito ostenderet [12]), quantam copiam scripta eius iis adferant, qui haereticorum, qui usque ad auctoris nostri tempora prodierunt, doctrinae ediscendae curiosi sint; et nominatim Manetem inter eos appellat, quorum philosophemata penitius et plenius inde erui possint. Omnes autem scriptores, qui hucusque Manichaeorum philosophiam tetigerunt, Ephraemum aut prorsus ignorasse, aut ea tantum legisse videntur, quae *Assemanius* (in Bibl. orient. T. I.) excerpsit: *Walchius* contra, qui opera Ephrae-

11) *Ephraemi Syri opera omnia quae exstant Graece, Syriace, Latine in sex tomos distributa. Graece et Latine Tom. I — III. Romae* 1732 — 1746. *Syriace et Latine Tom. I — III.* 1737. 1740. 1745.

12) Vitam, hymnodiam et gnosin Bardesanis praecipue ex Ephraemi scriptis docte et acute enucleavit in libro, cui inscribitur: *Bardesanes Gnosticus primus Syrorum hymnologus.* Lips. 1819.

mi ipsa ob oculos habuisse videtur, vel loca ab aliis laudata temere descripsit, vel ita negligenter legit, ut aeque fides ei habenda sit, ac si non legissset. Enumeratis enim singulis Sermonibus, in quibus auctor noster Manetem eiusque placita perstrinxerit, addit, eum nihil novi praebere [13]). Recte quidem monet vir, caeteroquin ob eruditionem magnam summe reverendus, plurima, quae Ephraemus afferat, tantum iis confirmandis inservire, quae ab aliis nobis tradita sint, eumque errores Manichaeorum magis perstringendo tangere, quam accurate exponere et refutare, quia illis temporibus nemo certo fuerit, qui illos ignorasset.

Iam vero quae de Manete eiusque doctrina ex Ephraemi libris cognoscimus, fere haec sunt. Post Bardesanis tempora (Serm. 22. p. 487. F.) [14]) in India Manes (ܡܐܢܝ) quidam surrexit (Serm. 3. p. 444 A), duo introducens numina pugnan-

---

13) Damus hic, quae *Walchius* l. c. p. 809. Anm. 3. de Ephraemo dicit: „*Was er* (*Ephraem*) *wider den Mani* Serm. I. p. 438. S. III. p. 443 S. VII. p. 449. S. XIV. p. 468. S. XXII. p. 485—487. S. XXIV. p. 494. S. LI. p. 550. S. LVI. p. 560. *mit grossem Eifer bestreitet* — — *enthält nichts Neues.*“ Sed cur vir eruditus Serm. II. p. 439., Sermoni primo proximum, non inspexit, si vere Ephraemum ob oculos habuit?

14) Ephraemi Opp. Syriac. Tom. II.

sa eaque aeterna (p. 443. F.), Deum bonum et Hylen ἄμορφον ac vinctam. Idem Paracletum Christique apostolum se appellans (Serm. 22. pag. 478.) asseclis suis de semet ipso nomen indidit (Serm. 56. p. 559. A. B.), docuitque, vetus testamentum esse per servum, novum vero per filium traditum (Serm. 26. p. 497. E.): docuit etiam, Christum corpus „odisse" i. e. nullo corpore humano fuisse amictum; item de lapsu caelicolarum in inferiora loca, et de Gigantum procreatione nugas effatus, eaque quae in natura accidere solent, ut tonitrua, procellas, imbres terraeque motus ineptis fabulis de daemonibus per puellam formosam ad libidinem excitatis, illustrare conatus est (Serm. 7. p. 455 et Serm. 50. p. 548)." Dicteria, quae Ephraemus in Manetis nomen dixit aliaeque injuriae, quas ei inflixit, temporis illius moribus excusantur, ideoque hic praetereundae sunt.

Haec omnia etsi apud alios scriptores fusius leguntur, gravissimum tamen testimonium nobis praebent, doctrinam Manichaeorum, qualem serioris aevi auctores perhibent, statim ab initio eandem iam fuisse. Sed restat, ut nunc id recenseam, quod in omnibus, quotquot de rebus Manichaeorum exstant, et antiquis et recentioribus scriptis desideratur. Ephraemus enim Serm. II. p. 439 et 440. Bardesanem calumniatus in Manetem acerrime invehitur, ita ut vel canum nomine eius discipulis convitietur, propte-

rea quod hominibus peccata remittant, panis porrectis frustis. Quo absque dubio intelligitur, iam Manichaeos, aeque ac Romano-catholicos serioribus temporibus, indulgentiam aliquam exercuisse. Quum hunc locum nullusdum omnium scriptorum viderit, nedum hanc rem attigerit, operae pretium fore existimavimus, indagare, quales hae indulgentiae fuerint, et quonam vinculo cum toto Manichaeismo contineantur, et e quibusnam aliis eius placitis vel praeceptis derivari possint. Quod ut bene fieri possit, necessarium videtur, ut Manichaeorum theosophiae singulas partes primum delineemus, ita ut supremo nostro fini adaptari possint, eique illustrando inserviant. Deinde in altera parte novum dogma ex ipso fonte diriva-tum et certis quibusdam Manetis placitis illustratum, accuratius excussuri sumus.

PARS PRIOR.

TOTIUS MANICHAEORUM DOCTRINAE EXPOSITIO.

§ 4.

Praecognoscenda.

Manetem fuisse virum magna ingenii acie praeditum, omniumque artium scientia insignitum, qui tamen mendo omnibus terrarum orientalium filiis communi, vividissima et imaginibus omnis generis repleta phantasia, quam dicunt, non caruerit, historia ipsius, licet confusior paululum et obscuritate plena sit, certissime docet, et indoles doctrinae, quam proposuit, probat. Veritatis enim studio flagrans, ubique eam quaesivit, et denique, quum nullibi eam in propria puritate inveniri censeret, ipse sibi e variis elementis systema composuit, quo omnes quaestiones de rebus divinis, quae hominem sublimiora petentem movent, solvere conatus est. Totam autem Ma-

netis doctrinam haud inique tanquam narratio-nem contemplari possumus, qua finis, ad quem mundus creatus, et causa, unde malum in universa natura pariter atque in hominis animo sit, illustretur. Quodsi ex hac lege Manetis philosophiam iudicaveris et examinaveris; omnia in ea bene disposita et consona invenies. Unde si hanc vel illam eius doctrinam penitus cognoscere volueris, omnium antea complexum perspexeris necesse est. Quod ita instituere nobis visum est, ut primum de *Theologia*, quae duo Manichaeorum principia describet, deinde de *Cosmologia*, quae cum hominis et mundi creatione anthropologiam simul complectetur, et postremo de *Christologia*, quae Christi naturam ac munus tractabit, ex Menetis mente actum simus.

CAPUT I.

THEOLOGIA S. MANETIS DE NUMINE DIVINO SENTENTIAE.

§. 5.

De duobus principiis eorumque regnis.

Omnium, quae sunt, causam aliquam esse nemo est, qui ignoret; quum vero in contemplan-

dis huius mundi rebus duae sibi contrariae naturae animadvertantur, Manes, eas ex una eademque causa prodire non posse, ratus [1]) duo introduxit numina, quorum unum bona quaelibet, alterum vero quaelibet mala secundum naturam suam gignere opinatus est, et utrique attributa divina indidit, eaque et aeterna et a se ipsis esse, neque unquam desitura, infinitam autem generandi vim possidere tradidit [2]). Ex naturali utriusque principii diversitate necessario secutum est, ea sibi invicem tam penitus esse contraria, ut prorsus nulla communione inter se iungerentur (*Epiphan.* haer. LXVI, c. 14). Quod dogma ut multis vel e christianorum familia acceptum fieret, Christi ipsius verbis (Matth. 7, 18.), quae pro arbitrio suo interpretatus est, confirmare Maneti placuit [3]). Deinde vero Manes,

1) Itaque *Manes* in *epistola ad Marcellum* (*Act. Archel* c. 5.) eum admonet, ne eadem sentiat, „ὡς οἱ τῶν ἀπλουστέρων (i. e. catholicorum) καθηγούμενοι διδάσκουσι λέγοντες, τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ κακὸν ἀπὸ του αὐτοῦ φέρεσθαι, καὶ μίαν ἀρχὴν εἰσηγούμενοι."

2) In *epistola fundamenti Manes* (ap. *August.* c. ep. fund. c. 5. p. 111): „haec quippe," inquit, „in exordio fuerunt duae substantiae a se divisae." cf. *Ephr.* Serm. 3. p. 443.

3) Iterum in *epistola ad Marcell.* l. c. „Οὔτε," inquit, ἐν τοῖς εἰρημένοις εὐαγγελίοις παρ' αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος κ. τ. λ.

utramque naturam suum, eiusdem cum ipsa substantiae, regnum habere, omnino non creatum, sed pariter atque illa principia aeternum cumque ipsis necessaria coniunctione cohaerens, haec vero regna infinita quidem esse e tribus lateribus, quarto vero latere unum alteri vicinum eoque finitum esse, utrumque a rege suo eiusque satellitibus et principibus inhabitari, docuit. Quamvis haec regna sibi opposita intervallo separata essent, vim tamen unum in alterum exercere, imo ei nocere potuisse, putandum est [4].

Saepius iam viri docti disputaverunt, utrum Manichaei unum tantum Deum, an duo Numina sive potius Deos esse crediderint, et *Bellesobrius* (l. c. Tom. I. p. 488.) multus in eo est, ut eos unum solum Deum habuisse demonstret, atque inprimis Fausti, Manichaeorum episcopi, testimonio [5] nititur. Sed is qui ab omni par-

---

4) *Act. Arch.* c. 14. — *August. disp. c. Fel.* I, 18. coll. c. 19. p. 344. (T. VIII.)

5) *Augustinus* (*c. Faust.* XXI, 1.) ex *Fausti* libris locum descripsit, quo is dialogum Manichaeum inter et catholicae ecclesiae asseclam fingens, ita loquitur: „Unus Deus est an duo? Plane unus. Quomodo ergo vos duos asseritis? Nunquam in nostris quidem assertionibus duorum Deorum auditum est nomen. Sed tu unde haec suspicaris, cupio scire. Quia bonorum et malorum duo principia traditis. — *Est quidem quod duo principia*

lum studio remotus, argumenta hucusque iam prolata et infra proferenda perpenderit, Manichaeorum philosophiam revera duos Deos ponere, quorum unus sit bonus, alter autem malus, libenter concedet; quamvis ipsi duas quidem substantias aeternas se docere, sed unum solum Deum colere asseruerint. Quum enim inter christianos viverent, imo pro christianis haberi ipsi vellent, plurimum eorum interesse debuit, ut Deum unum verum et ab omnibus cultum venerari viderentur.

§. 6.

De Deo bono.

Dei boni natura *lux* est, cuius et ipse nomen gerit [1]); a nemine est genitus aut factus, sed ipse sibi omnibusque aliis in suo regno naturis fons vitae est, et aeternitate perpetuaque beatitudine, quae in intima eius natura posita est, atque sanctitate, sapientia et veracitate gaudet [2]). Atributa eius, quae moralia appellantur, infinita

---

confitemur, sed unum ex his Deum vocamus, alterum Hylen" etc.

1) *Act. Arch.* c. 7. „Φῶς τῷ ἑνὶ ὄνομα θέμενος."

2) *Manes in epist. fund.* ap. *Aug.* c. ep. fund. 13: „Et luminis quidem imperium tenebat Deus pater in sua sancta virtute magnificus, natura ipsa verus, aeternitate propria exsultans."

quidem sunt, sed scientiam Dei huius non omnia complecti, neque ipsi omnipotentiam eodem, quo a christianis fieri soleat, sensu a Manete adscriptam fuisse Moshemius contendit [3]); neque tamen, id recte coniecisse virum eruditum, opinor. Nonnulla quidem Deum Manichaeorum omnino ignorasse, aliaque efficere non potuisse, ei probabile videtur. At primum, quae nescivisse ille dicitur, revera eum praevidisse eodem iure contendimus, quum neutrum a veteribus dicatur, et ea argumenta, quae Moshemius affert nondum nos cogant, ut eandem opinionem sequamur; quod vero ad impotentiam quandam attinet, quam Deum dedecere putat, vel nos concedere debemus, esse quaedam, quae Deus neque facere neque velle quidem possit, nunquam vero omnipotentem eum esse negabimus. Certe id constat, Manichaeorum Deum et sapientia et potestate Hylen s. Daemonem antecelluisse, quippe qui illius institutis tandem superatus in pristinam conditionem miseram reversurus esset.

Sed ad alia ut veniamus, *Manes* in *epistola fundamenti* „Deum apud se continere sapientiam, et sensus vitales, per quos etiam duodecim membra luminis sui comprehendat,“ fabulatur. Quid hisce innuat difficile est dictu, neque talia excutere huius loci foret; ideo do-

3) Vide eius *comment. hist. eccl. etc.* p. 773.

nec meliora edoceamur animus inclinat ad *Beausobrii* opinionem, qui Dei perfectionem illis verbis mysticis indicari suspicatur [4].

Versatur autem hic bonus Deus in regno suo, quod, ut ipse, lux est nunquam orta et nunquam desitura; quia „quomodo Deus aeternus est et factura apud illum nulla est, totum aeternum est [5].“ Haec terra immensae latitudinis

---

4) Fere eadem haec membra fuisse censet, quam Cabbalistarum *Sephiroth*; sed, ut commodius perspiciatur, eius sententiam propriis viri docti verbis exponemus Tom. I. pag. 510. „Les *Sephirothes*,“ inquit, „rangent les Cabbalistes quelque fois sur une colonne, quelque fois en cercle: mais quelque fois ils les disposent selon la figure du corps humaine, et selon l'ordre de ses parties, en sorte, que chacune de ces Sephirothes — qui sont au nombre de dix — soit, comme un de membre du corps de la divinité. — — Concevant la Divinité comme une Lumiére, Manichée la représente figurement, comme un homme, dont les Membres sont autant de sources inépuisables de Biens lequels decoulent sans cesse sur les Suiets de son royaume. Ces Biens, ou ces Graces étant de differentes sortes, elles émanent aussi pour ainsi dire, des differens Organes de la Divinité. Si on me démande, quels sont ces organes, ie repondrai, que ce son *les perfections divines*, qui sans sortir de l'Essence, non plus que les Sephiroth, ne laissent pas d'enrichir de leurs dons les Etres inférieurs, qui ont le bonheur d'approcher d'elle.“

5) *Augustin. disp. c. Fel. I.* c. 18. p. 342.

nullisque finibus cohibita ex quinque constat elementis, ex aëre, luce, igne bono, aqua bona, ventoque bono. Neque tamen solus in hoc regno Deus bonus, sed una „cum Saeculis suis beatis gloriosisque," quae ex ipso emanarunt, in perpetua beatitudine et pace degit vitam, iisque ad imperia sua exsequenda utitur, cumque iis et per ea omnium bonorum, quae sunt, auctor est, nihil commune habens cum Malo, quod, vallo quodam medio inter utrumque regnum posito, a Bono separatum est [6]).

Praeterea Manichaei etiam *trinitatem* quandam docuisse videntur; neque, si eos ex verbis, quibus in hoc dogmate usi sunt, judicaverimus, a confessione ecclesiae catholicae multum eos recedere existimabimus [7]); attamen penitius verborum sensum si eruerimus, eos non nisi verba cum illa communia habuisse, videbimus. Post mundum enim creatum, secundum Manichaorum opinionem, Deus duas sublimes naturas (s. Aeones) ex se procreavit, quarum uni nomen *Christi*, vel — quod malunt — *Dexterae luminis* fuit, alteram vero *Spiritus sancti* appellatione or-

---

6) *Augustin. epist. fund.* c. 20. p. 118. *de haeres.* c. 46. p. 11. *Act. Arch.* c. 24.

7) *Augustin. c. Faust.* XX, 2. p. 237. Faustus: „Nos quidem," inquit; „Dei omnipotentis, et Christi filii eius et Spiritus sancti unum idemque sub triplici appellatione colimus Nomen."

narunt: et utraque natura Deo summo consubstantialis quidem, quod e Manichaeismi principiis facile intelligitur, neque vero ipsi par, sed inferior habita est; huc accedit id, quod mihi quidem certum videtur, *secundam Maiestatem* (haec enim est in hoc placito enunciando peculiaris vox) *tertia Maiestate*, sive Aeonem Christum Aeone Spiritu Sancto augustiorem putatum fuisse. Nam sicut *Deus ipse summus* in luce primaria habitat, quam neque adire, nec videre cuiquam fas est, ita primogenitus eius Aeon s. *Dextera luminis* lucem secundariam, quam nos solem appellamus et lunam, *Spiritus sanctus* vero aetherem, qui nostram modo terram ambit, obtinet. In quibus quasi provinciis suis hi Aeones mandata patris, de quibus paulo inferius dicemus, peragunt [8].

8) Locus, qui est de hac doctrina classicus, in *Fausti* libris legitur apud *Augustin. c. Faust.* XX, 2. his verbis descriptis: „*Patrem* quidem ipsam lucem incolere credimus summam ac principalem, quam Paulus alias inaccessibilem vocat; *Filium* vero in hac secunda ac visibili luce consistere, qui quoniam et ipse sit geminus, ut eum Apostolus novit, Christum dicens esse Dei virtutem et Dei sapientiam (1 Cor. 1, 24.), virtutem quidem eius in sole habitare, credimus, sapientiam vero in luna; necnon *Spiritus sancti*, qui est maiestas tertia, aëris hunc omnem ambitum sedem fatemur ac diversorium" — De hac trinitate optime disseruit *Bellesobrius* l. c. Tom I. p. 556—568.

Restat, ut hoc loco Manetis miram de Deo Iudaeorum opinionem inseram. In scriptis enim novi testamenti Dei boni institutionem, hominibus salutarem, contineri putavit: in vetere autem testamento permulta scripta esse, quae novi foederis dictis repugnent, velut legem, caerimonias in colendo Deo observandas describentem, sacrificiaque cruenta homines Deo facere iubentem, multasque praeterea narrationes, quae bonis et sanctis moribus non conveniant. Hinc Antinomorum fere sententiam adoptavit suisque tradidit, Iudaeos *Principem tenebrarum* veneratos fuisse, qui per Mosen et Prophetas locutus fuisset legemque praecepisset, et illorum scriptis pravas concupiscentias tentationesque excivisset 9). Itaque nemo mirabitur, hunc quoque haereticum

---

9) In *Act. Archel.* c. 13. *Manes* „Ea, quae in Prophetis et Lege scripta sunt," inquit, „ipsi [Deo] nihilominus adscribenda sunt; ipse [Diabolus] est enim, qui in Prophetis tunc locutus, plurimas eis de Deo ignorantias suggerens et tentationes et concupiscentias. Sed et devoratorem eum sanguinis et carnis ostendunt; quae omnia ad eum pertinent Satanam et ad Prophetas eius, quae transformare voluit in patrem Christi et scribere pauca quaedam vera, ut per haec etiam caetera, quae sunt falsa, crederentur." — Qui haec commenta accuratius cognoscere cupit, adeat *Augustin. de utilitate credendi*; *contra Adimant. c. Faust.* IV. VI. VIII. X. XII — XIX.

veteris testamenti scripta reiecisse, et Manichaeos saepissime Iudaeos Christianosque, propterae quod libros istos sacros pie colerent, convitiis esse consectatos.

§. 7.
De Numine malo.

Praeter Deum ex Manetis opinione etiam aliud fuit Numen, illi oppositum contrariumque quod varia gessit nomina, vel Ὕλη, vel Δαίμων vel Σκότος nominatum [1]) Nulla hic *Daemon*, omnium malorum fons, cum Deo bono continetur ratione, sed est ingenitus *) et aeternus in se causam sui habet, infinitaque procreandi vi praeditus tantummodo mala creare potuit [2]). Caeterum humani corporis figura amictus habebatur [3]).

Sicut Deus in terra lucis, ita Daemon in terra tenebrarum regnat, et pariter ac rex in no-

1) *Beausobre* T. I. p. XXVI. — — „une puissance maligne, que Maniehée apelloit *la Matiere* en stile philosophique, *le Demon* en stile vulgaire, et *les Tenebres* en stile mystique.“

*) Deus enim per se bonus, malum, quod est, gignere nequivit. cf. *Act. Archel.* c. 33.

2) Vide *Act. Archel.* c. 7. 12. 14. *Augustin. de vera relig.* c. 9. Opp. Tom I. p. 562. *de haeres.* c. 46. Tom. VIII. p. 11.

3) Id. c. *Faust.* XXI, 14.

stra terra, principes suos, concionibus convocatis, consulit, iisque mandata dat 4). Regnum vero hoc, uni beatae terrae lateri finitimum, et eodem fere modo, quo illud constructum i. e. in quinque regiones divisum est, quae et elementa audiunt et ita sunt dispositae, ut quodammodo columnam forment 5). Cuique earum regionum suus princeps praeest, cui satellites subdiii sunt; neque mirum est, quod hi pro inimica sua natura, continuo inter se pugnent seque invicem absumant, quum contra in beata terra aeterna pax floreat. (*Aug.* Faus. XXI, 14.)

---

4) *Ibidem.*

5) Accuratam huius terrae descriptionem ipse *Manes in epist. fund.* apud. *August. c. ep. fund.* c. 15. exhibet, quae hic sequitur: „Iuxta unam vero partem ac latus terrae illustris, erat tenebrarum terra profunda et immensa magnitudine, in qua habitabant ignea corpora, genera scilicet pestifera. Hic infinitae tenebrae, ex eadem manantes natura inaestimabiles, cum propriis foetibus, ultra quae erant aquae coenosae ac turbidae cum suis inhabitatoribus, quarum interius venti horribiles ac vehementes cum suo Principe et genitoribus. Rursum regio ignea et corruptibilis cum suis ducibus et nationibus. Pari more introrsum gens caliginis et fumi plena, in qua morabatur immanis Princeps, omnium dux, habens circa se innumerabiles principes, quorum omnium erat ipse mens et origo."

§. 8.

De certamine inter utrumque regnum.

His duobus a se diversis et separatis sibique invicem contrariis principiis constitutis, Manes, quo utriusque commixtionem illustraret, mythum non finxit, sed e patria religione susceptum transformavit. Est autem fere hic.

Beatus pater, haud ignorans [1], praeter ipsum, ipsiusque regnum etiam aliam Naturam, cum regno suo, eamque malam esse, quae ei quondam bellum illatura foret, ad tuendam lucis terram murum s. altissimos montes in medio posuit. Quos Principes tenebrarum proelio quodam inter se commisso adscenderunt, indeque lucem intuiti, quam hucusque nondum cognoverant, ingentique eius amore et effrenata appetentia capti [2]) finibus suis egressi in beatam terram irruerunt [3]). Iam ad inimicos fugandos pe-

---

1) *Manes* in *epist. fund.* (*Aug. disp. c. Fel. I*, 19. p. 343.) hoc confirmat, „Lucis beatissimus pater," dicens, „sciens labem magnam ac vastitatem, quae ex tenebris surgeret adversus sua sancta saecula impendere etc." Similiter *Secundinus* in *epist. ad August.* c. 6. Opp. T. VIII. Deum „praescium pugnae" dicit.

2) *August.* *de not. bon.* c. 42. p. 364.

3) *Act. Archel.* c. 7. et 24.

riculumque a regni sui finibus removendum, Deus ex se potestatem quandam, quae Mater vitae nominatur, profudit; ea vero Primum hominem peperit [4]), naturam, quam Augustinus ex Manichaeorum sententia (c. Faust. XI, 3. p. 157.) „de substantia Dei, idque ipsum existentem“ dicit, „quod Deus sit,“ quamvis non a Deo ipso prodiisset, sed ex alia natura, quae ex illo manaverat. Isque *Primus homo* ad Daemones dolo vincendos quinque terrae bonae elementis tanquam membris armatus et a Deo missus [5]), ita contra hostes dimicavit, ut elementa quae portavit, mutaret, atque ut videtur, in formam Principum tenebrarum i. e. humanam ad eos decipiendos converteret [6]). Hi vero ei repugnantes devorarunt partem armaturae eius, multasque lucis partes in tenebrarum regnum hoc modo traxerunt et inquinarunt [7]). Sed quum *Primum*

---

4) *August.* l. c. et disp. c. *Fol. I*, 19. p. 343. „Eximium et praeclarum et virtute potens numen opponit.“ (Epist. fund.)

5) *August.* c. *Faust. II*, 3. p. 133. „Profertis nobis Primum hominem, qui ad gentem tenebrarum debellandam de lucis gente descendit, armatum aquis suis contra inimicorum aquas et igne suo contra inimicorum ignem, et ventis suis, — — — contra fumum aëre et contra tenebras luce.“

6) ibid. c. 4. p. 134.

7) *Act. Archel.* c. 7.

hominem periclitari et resistere diutius nequire Deus cerneret, aliam potestatem, quae ex ipsius substantia emanaverat, *Spiritum viventem* Homini primo auxilio misit, et is postquam gentem tenebrarum vicerat, malorum daemonum complures colligatos coelo affixit, unde terrae nostrae tonitrua, fulgura, morbos, aliaque mala ciere dicuntur [8]).

His fabulis Manes boni malique commixtionem explicare, et quomodo ea cum sancta Dei voluntate conciliari possit, ostendere conatus est.

CAPUT II.

COSMOLOGIA S. MANETIS DE HOMINE ET MUNDO SENTENTIAE.

---

§. 9.

De hominis et mundi creatione.

Manetem quaestionum modo explicatarum et physicarum et metaphysicarum causas, e mundi hominisque, et utriusque inter se relationis con-

8) *Ibid.* cll. *August.* c. Faust. VI, 8. pag. 149.

templatione sumsisse extra omnem dubiationem est neminemque offendet [1]). His autem principiis statutis naturali idearum nexu ad finem hominis et mundi eorumque ortum inquirendum pervenit, placitaque sua, ut solebat, orientali mythorum veste induit.

Creationem hominis e propriis Manetis verbis cognoscere licet; simulque caeteros scriptores nihil tradidisse, nisi quod iam Manes docuerit, videmus, et breviter ea hic damus. *Spiritus viventis*, ad adiuvandum *Primum hominem* a summo Deo missi, adventum sentiens *Princeps tenebrarum* satellites suos convocatos concione habita hortatur, ut ad conservandam lucem raptam inter se coirent et liberos, qui illas lucidas partes in se continerent, gignerent. Eam vero principum suorum prolem postquam ille devoraverat, maximamque illius lucis partem ita

1) Ipse *Manes* in quaestionibus suis hac via se processisse confitetur in *epistola fundamenti*, quam amico cuidam, Paticio, misisse videtur (Aug. de ep. fund. c. 14.); ei enim de origine et natura hominis quaerenti haec respondit: „De his a plerisque in variis scripturis relationibusque dissimili modo insertum et commemoratum est. Quapropter veritas istius rei, ut sese habet, ab universis fere gentibus ignoratur et ab omnibus, qui et de hoc diu multumque disputarunt. — — — Necessario ergo plura sunt ante memoranda, ut ad istud mysterium sine ulla possit ambiguitate perveniri.“

3

in se receperat, cum advocata quadam ex gente tenebrarum coniuge concubuit eamque abundantia lucis, quam devoraverat, foecundavit *hominemque secundum*, *Adamum*, cum ea genuit ad ipsius et Primi hominis imaginem [2]); nam Tyrbo (Act. Archel.) disertis verbis narrat „retulisse hominem parentem suum, Principem tenebrarum, forma, qui gigas fuerit in humana forma;" docetque nos, similitudinem Adamum inter et Primum hominem, non tam in figura —, quamvis et is in certamine humanam i. e. Principis tenebrarum formam assumserit — quam potius in luce, sive anima, quaerendam esse; addit enim: „fecit hominem hunc secundum speciem illius Primi hominis, et iunxit animam in eo." Et Manes hanc suam sententiam ab Archelai episcopi impetu defendere studens, nobis ostendit, unde hoc commentum ei in mentem venerit: ex plurali enim numero, quo auctor Geneseos (1, 26.) usus est, conficit, non Deum, sed Daemonem cum satellitibus suis hominem creavisse [3]). Consilium vero, quod is in hac creatio-

---

2) Locum, unde omnis huius rei notitia sumi potest, ex *Manetis epist. fundam.* *Augustinus* (*de nat. bon. c.* 46, *p.* 366) servavit, qui longior est, quam qui hic addi possit. Eadem vero, quae Manes exhibet, vel in *Tyrbonis relatione* (Act. Archel. c 7. 14. 17.) legimus.

3) *Tyrbo* (in *Act. Archel.* c. 10.) apud. *Epiphanium* l. c. „Περὶ δὲ Ἀδὰμ" inquit, „πῶς ἐκτίσθη, λε-

ne secutus videtur, duplex est: primum nempe, ut lucis partes Primo homini ademtas suae substantiae admixtas in potestate sua retineret, deinde vero ut regnum suum cognatione quadam cum regno lucis facta, corroboraret. At spes eum fefellit, nam Adamus boni copiam possedit maiorem quam mali, ita ut vel malum a bono vinceretur, et iste sancte viveret.

Iam quod ad naturam attinet, quam secundum Manichaeorum opinionem homo habuit, pauca tantum eaque necessaria commemorabo. Ex iis quae modo disputata sunt, discimus, hominem e duabus partibus constare, earumque unam divinae naturae particulam, imo Dei ipsius substantiam Primo homini ereptam esse, alteram vero i. e. corpus hominem a Principe tenebrarum e materia sumtum accepisse dicunt: *corpus* igitur malum est, quoniam a malo venit, *anima* contra est bona, quum Dei sit pars [4]. Animarum autem duplex genus, bonum et malum in homine esse, Manichaei opinati sunt [5].

γει (ὁ Μάνης) οὕτως· ὅτι ὁ εἰπών· „„Δεῦτε καὶ ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν, καὶ καθ' ὁμοίωσιν, ἢ καθ' ἣν εἴδομεν μορφὴν" "Ἄρχων ἐστὶν ὃ εἰπὼν ταῖς ἑτέροις Ἄρχουσιν ὅτι, Δεῦτε, δότε μοι ἐκ τοῦ Φωτὸς, οὗ ἐλάβομεν καὶ ποιήσομαν ἄνθρωπον· — ὅ ἐστι πρῶτος ἄνθρωπος."

4) cf. *Act. Archel.* c. 9. *August.* op. imperf. c. Iulian III, 174. Opp. T. X. p. 828.

5) *Augustin. de duab. animab.* c. 12. Opp. T.

Namque id, quod in eo e Dei esset sive lucis substantia, nullo modo mutari vel inquinari posse putarunt; quum vero in hominis quoque mente malum quoddam animadverterent, hoc a malo principio originem traxisse, *malamque animam* esse dixerunt, quam Princeps tenebrarum in homine collocaverit. Hoc vero malum animarum genus *concupiscentiam*, quam nostrates dicunt, eamque omni homini insitam maximeque carnalem, esse, complura indicant, quae in altera libri huius parte commodiorem habebunt locum et fusius tractabuntur. In Adamo vero paene tota Primi hominis armatura i. e. anima inclusa erat, quae generatione in genitos transit, ita tamen, ut pars in genitore remaneat; sed generatio ipsa ad materiam pertinet, et, ex Manetis sententia, hominis malam originem indicat [6]. Manichaei igi-

---

VIII. p. 63. „Duo animarum genera esse dicunt, unum bonum, quod ita ex Deo sit, ut non ex aliqua vel materia vel ex nihilo ab eo factum, sed de ipsa eius omnino substantia pars quaedam processisse dicatur; alterum malum, quod nulla prorsus ex parte ad Deum pertinere credunt." cf. *Aug. c. Iulian. II*, 36. *Tom. X. p.* 343.

6) *Manes* nobis testis est, qui (*Act. Archel. c.* 14.) ita disserit: „Si consideretis, quomodo generentur filii hominum, invenietis, non esse Dominum creatorem hominis, sed alium, qui ipse ingenitae est naturae. — — Quum quis vestrum carnalibus aliisque cibis fuerit satiatus, tunc ei concupiscen-

tur, quoad animae propagationem *Traduciani* fuisse videntur; docebant enim, corpus concupiscentia homini insita ad coitum invitari, carnalique commixtione corpus gigni simulque fieri, ut cum corporis generatione anima eaque mala transeat in id, quod generetur [7]. In propagationem animae bonae vero infra (vide §. 17.) sermo incidet. —

Hac luminis et tenebrarum mixtione facta Dei maxime interesse debuit, lucis particulas materia contaminatas et cum ea coniunctas inde liberare et recuperare; ante omnia vero hominum animas salvare et ad se reducere cupivit. S p i r i t u s igitur v i v e n s divino iussu in hominis commodum mundum creavit. In illo videlicet

---

tiae oboritur invitatio, et ita generandi filii fructus augetur, ut non ex virtute aliqua, nec ex philosophia, nec ex alio ullo intellectu, sed ex sola ciborum satietate et libidine et fornicatione."

7) *Augustinus* (*op. imperf. c. Iulian III*, 1, 74. T. X. p. 828.) locum ex *epistola* Manetis *ad filiam Menoch*, citat, ubi haec leguntur: „Sic ut animae gignuntur ab animabus, ita figmentum corporis a corporis natura digeritur, et sicut caro de carne, ita anima de anima." — *Ibid. II*, 178. *p.* 763. Augustinus Manichaeos traducem animarum accepisse dicit. „Impietatem, inquam, qua credis ita esse *animarum traducem* in Tertulliani olim et Manichaei profanitate damnatam, sicut est corporis tradux."

infelici certamine, partes elementorum terrae beatae malis elementis admixtae erant, quas iste sumens ex igne bono solem et ex aqua bona lunam [8]), ex caeteris vero minus puris lucis reliquiis sidera fabricatus est [9]), iisque principes tenebrarum affixit complures, eos nempe, qui in coitu, quo lucis portiones devoratas domino suo tradere coacti fuerant, nondum eas omnes ediderant, sed nonnullas, materiae tenacius infixas, retinuerant. Quae ut ex iis traherentur Spiritus vivens eos victos ita stellis affixit, ut qui plurimum luminis adhuc haberent, in altissimis regionibus collocarentur, minus habentibus infra positis [10]). Quibus vero modis Deus lucem iis eripiat, infra notabitur. Inter hos spiritus, quos dicunt, fuerant etiam foeminae aliquot eaeque praegnantes, quae coeli rotatum non ferentes abortus fecerunt, qui in terram delapsi, ibi stirpem suam propagaverunt et multiplicarunt [11]),

---

8) Cf. *Augustin de haeres.* c. 46. p. 11.

9) *Alexander Licopol.* c. *Manich.* p. 5 et 15. „Τὸ δὲ ἐν μετρίᾳ γεγονὸς κακίᾳ ἀστέρας καὶ τὸν οὐρανὸν σύμπαντα.“

10) *Augustin.* c. *Faust. VI,* 8. p. 149.

11) *Augustin. ibid.* „In quibus,“ inquit, „(principibus) erant etiam foeminae aliquae praegnantes, quae quum coelum rotari coepisset, eandem vertiginem ferre non valentes conceptus suos abortu excussisse, eosdemque abortivos foetus et

Hi enim abortus eorumque foetus sunt animalia postea in terra nostra collocata, quae aeque ac plantae, originem de materia traxerunt [12]). Etenim post coelum et sidera facta Spiritus vivens ex reliquis bonorum elementorum partibus, quas materia penetraverat, inferiorem hanc nostram terram finxit. Imposuit postremo terrae creator opus suum humeris naturae cuiusdam sublimioris, quae a munere, quo functa est, Ὠμοφόρος audit, terram quippe humeris portans. Qui *Omophorus* quando oneris sui impatiens intremiscit, accidit, ut terra moveatur. At ne oneri gravi, solus si esset, succumberet socium accepit *Splenditenentem*, qui illo fatigato mundum sustineret [13]). *Bellesobrius* [14]) ut Manetem eiusmodi ineptiis absolvere queat, hanc fabulam allegoriam et Omophorum cum Splenditenente angelos esse suspicatur, qui mundum

---

masculos et foeminas de coelo in terram cecidisse, vixisse, crevisse, concubuisse, genuisse." — *Augustino* excepto nullus scriptorum hanc fabulam narrat, quod *Bellesobrio* (T. II. p. 397.) satis est causae eam addubitandi, quamvis nihil habeat, quod a Manetis ingenio abhorreat.

12) *Act. Archel. c.* 10.

13) *Ibid.* c. 7. De Splenditenente vide *Augustin. c. Faust.* XX, 9. *p.* 240. *cll.* XV, 5. *p.* 196.

14) *Beausobre l. c. II. p.* 370. *sqq.*

non humeris, sed vi quadam naturali sustinuerint. *Moshemius* vero acute eum refutavit [15].

Iam non amplius difficile est, litem dirimere, utrum secundum Manichaeismum Deus an Daemon mundi creator sit habendus. Veterum nonnulli Manichaeos acerrime vituperant propterea quod Deum mundi creatorem esse negassent [16], alii vero, iure hoc probrum ab iis removent [17]; illi enim accuratius Manichaeismum vix perspexisse videntur. Bellesobrius quidem, uti ipsi in more est, Manichaeos orthodoxos hac in re declarare si studet, veritatem paulum transgressus est, at rectius tamen istis vidit; mundus enim neque a Daemone neque a Deo solo creatus est; sed hic rebus quibusdam, quae praeter ipsius voluntatem et potestatem acciderant, coactus Spiritum viventem i. e. Aeónem, qui ex ipso emanaverat, mundum maximam partem

---

15) *Moshemii comment, etc. p.* 828. *sqq.*

16) *Athanasius Orat. I. cont. Arian. p. m.* 127. „Καὶ γὰρ κἀκεῖνοι (Μανιχαῖοι) μόνον ἄχρις ὀνόματος ἀγαθὸν θεὸν ὀνομάζουσι, καὶ ἔργον αὐτοῦ οὔτε βλεπόμενον οὔτε ἀόρατον δεικνύειν δύνανται, τὸν ἀληθινὸν καὶ ὄντως ὄντα θεὸν τὸν ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ πάντων ἀοράτων ἀρνούμενοι.“ — cf. *Rufinus in Symb. inter Opp. Hieron. T. IX. p.* 70. „Mundum a malo factum dicit, Deum creatorem negat. (sc. Manes).“

17) *Evodius de fide cont. Man. Tom. VIII. append. c.* 49. „Deum mundi huius fabricatorem et lucis huius institutorem.“

e materia aeternum mala, ea, qua diximus, ratione formare iussit.

§. 10.

De hominis in hac terra conditione.

Terram igitur hominis potissimum causa Deus fingi iusserat, ut omnino lucis partes amissas, inprimis vero hominis animam servaret. Adamum e duabus partibus constare vidimus, quarum alteram a Deo, alteram a materia acceperat, animam autem etiam duplicem inesse, et bonam et malam. Primum autem una ab altera separata fuit, itaque Maneti exponendum fuit, qua ratione et quando illae animae diversae conflixerint, sive qui factum sit, ut homo peccaret. Hoc quoque placitum, ut caetera, sub fabulae specie haeresiarcha noster proposuit, quam ex Mosis narratione male intellecta vel perverse explicata finxisse videtur [1]).

1) Manetem veteris testamenti libros prorsus reiecisse, multa veterum testimonia certos nos faciunt. Mirum igitur videri posset, eum Mosaicam, quae hominis lapsum describit, narrationem retinuisse. Sed priora Geneseos capita theosophicis eius opinionibus convenisse videntur, itaque, mutatis in contrarium praecipuis historiae momentis, eam suis placitis adoptavit et ita interpretatus est, ut, eandem esse cum Mosaica relatione Manichaeorum fabulam, vix existimaturus sis.

Ea verò explicatio, quam Tyrbo[2]) reddidit, difficultatis et obscuritatis est adeo plena, ut hunc locum intactum relinquere mihi, qui omnia et singula non illustraturus sum, visum sit, partim quod huius loci non esse arbitratus sum, partim vero Moshemii (l. c. p. 810.), et Bellesobrii (l. c. II. p. 452.) virorum doctissimorum iudiciis ab eo loco illustrando deterritus. Dabimus ergo ea, quae planiora et magis perspicua alibi inveniuntur.

Historiam tentationis talem, qualem Moses habeat, Manichaeos reiecisse, simulque cur hoc fecerint, *Titus Bostrensis* nuntiat: „Primum enim absurdum esse, quod Deus homini interdixerit fructum edere eum, qui cognitionem boni et mali paravisset, magnam igitur homini utilitatem attulisset, sine qua cognitione homo non fuisset homo, certe malum fugere nescivisset: deinde vero ea verba, quae Moses (Gen. 3, 22.) Deum de homine dixisse finxerit, Deo indignissima esse et indicare, eum invidia contra Adamum repletum fuisse; neque a Deo homini tale quid, quale Moses dicat, praescribi potuisse, quum aut praevidere debuisset Deus, hominem hoc praeceptum transgressurum esse, inutilia igitur mandavisset, aut ignoravisset, quae futura essent, verum ergo Deum se non esse ostendisset."

2) *Act. Archel.* c. 10.

Itaque haec fere Manetis fuit conclusio: homo quae fugienda eligendave sint ignoravit; Diaboli interfuit, eum in hac ignorantia retinere, praecepit ei ergo, ne fructu quodam mystico vesceretur, qui ei illam scientiam impertiturus erat. Sed angelus s. Aeon. quidam, qui in Serpente latuit, ei consilium dedit, fructum vetitum edendi, et hoc modo eum ab ignorantia liberavit [3]). Manes igitur Mosaicam tentationis historiam prorsus in contrarium torsit; Moses enim Deum, Manes vero Diabolum aliquid vetuisse narrat; secundum Mosen esus fructus hominem corrupit, secundum Manetem homo eo sapuit; Moses Diabolum sub serpentis figura hominem incitasse refert, ut legem laederet, Manes vero, Christum in serpente latentem homini magnum commodum attulisse, malique machinationes indicasse, hallucinatur. Quod consilium quum Diabolus irritum videret, aliud eum iniisse dicunt Manichaei, quod feliciorem eventum habuit.

In prioribus iam didicimus, Adamum, ut qui boni plus quam mali in se contineret, hoc coercentem sancte vixisse. Quodsi in hac mo-

---

3) *Augustinus* (*cont. Faust. XV, 9.*) nuntiat, Manichaeos credidisse, in illo serpente, cuius mentionem Moses iniiciat, Christum ipsum latuisse et operatum esse. „Usque adeo" ille inquit, „desipuisti et venenatis incantationibus eius amens facta es, — — ut serpens tibi etiam, Christum se esse, persuaserit."

rum sanctimonia vitam degere perrexisset, postremo capta lux victis tenebrarum viribus in patriam, nescio qua ratione, reditura fuisset. Quod quominus fieret, Malus omni modò impedire debuit, variaque quaesivit, quibus animae malae vim excitaret. Creavit ergo foeminam pulcherrimam, *Evam*, cui cum corpore etiam animam malae substantiae indidit; aliam enim ei dare nequivit. Fuit autem haec anima, quam Eva acceperat, non nisi libidinis sensus, ut a Tyrbone docemur[4]. Itaque a veritatis specie non alienum est, si *Theodoretus* narrat, Evam ab initio anima — scil. bona — caruisse, Deum autem curasse, ut virgo quaedam mascula (?) ei illam inflaret[5], sic nempe Deum et Evam corrigere et Adamum a peccato arcere voluisse, putarunt. Sed lucis pars in ea minor fuit, quam quae cupidinem fervidam frenare potuisset; formositate et blanditiis suis Adami libidinem instimulavit, ita ut ille pernicioso ardore flagrans a muliere victus cum ea concumberet[6]. Sic,

---

4) *Tyrbo apud Epiphan. l. c. nd. 22.* „Τὴν δε Ἐύαν,“ refert, „ὁμοίως ἔκτισαν (οἱ Ἄρχοντες), δόντες αὐτῇ ἐκ τῆς ἐπιθυμίας αὐτῶν πρὸς τὸ ἐξαπατῆσαι τὸν Ἀδάμ.

5) *Theodoret. haeret. fab. I, 26. p. 213.* cll. *Mosnem. l. c. p. 809.*

6) Habemus duo loca, unde Manetis de hominis lapsu opinionem eruere licet; unum ex ipsius *epistola ad filiam Menoch*, *Iulianus* Pelagio consentaneus

quod Diabolus optaverat factum erat, mala anima s. concupiscentia hominis de bona anima i. e. ratione victoriam reportaverat, et peccatum primum id erat, ut homo corporis libidini indulgeret.

Hac de mundi hominumque creatione fabularum serie ausus est Manes malum, quod est in terra, eiusque naturam et mixtionem cum bono explicare.

---

apud *Augustinum* (*c. Iul. III. Opp. Tom. X. p. 882.* recitat. „Operae pretium est advertere, quia prima anima, quae a Deo luminis manavit, accepit fabricam istam corporis, ut eam fraeno suo regeret. Venit mandatum, peccatum revixit, quod videbatur captivum; invenit articulos suos Diabolus,“ [quod *Moshemius* non recte explicat per: *commodum suum tempus*, nobis Manes hisce verbis animam malam, quam Adamus ab ipso acceperat, indicasse videtur], „materiam concupiscentiae in eam seduxit et per illam occidit.“ — Alter locus ex *Augustini lib. cont. Manich. mor. c. 19. Opp. Tom. I. p. 552.* sumtus, illum priorem illustrat. „Talis,“ August. inquit, „apud vos opinio de Adam et Eva longa fabula est; sed ex ea id attingam, quod in praesentia satis est. Adam dicitis sic a parentibus suis genitum, abortivis illis principibus tenebrarum, ut maximam partem lucis haberet in anima, perexiguam gentis adversae. Qui quum sancte viveret, propter exsuperantem copiam boni, commotam tamen in eo fuisse adversam illam partem, ut ad concubitum declinaretur; ita eum lapsum esse atque peccasse; sed vixisse postea sanctiorem.“

CAPUT III.

CHRISTOLOGIA S. MANETIS DE CHRISTO EIUSQUE OPERE SENTENTIAE.

§. 11.

De Christi natura, vita et morte.

Substantiis boni ac mali ita permixtis et hanc ob causam mundo visibili facto, lucis partes in hominibus et in omnibus rebus creatis inclusae dolent, atque Deo in votis fuit, ea quae ad ipsius regnum pertinerent, ab omni communione materiae liberare. Quomodo et quibus auxiliis Deus id effecerit, in hoc capite exponendum est; plura autem huc pertinentia quum ad eum, quem proprium nobis proposuimus, finem maxime spectent, hic obiter tantum tangentes, infra fusius tractabimus; itaque si quae in hac, quae iam sequitur, expositione manca videbuntur, accuratiora expetentem illuc ablegamus.

Deus ad id, quod modo indicavimus, consilium exsequendum *Iesum Christum*, filium suum misit, vel, ut eodem cum Manichaeis verbo utar, eum direxit [1]). Iam supra vidimus, sub-

1) *Fortunatus in disp. c. August. I. p. 69.* „Profitemur," inquit, „Deum salvatorem sui similem *direxisse.*"

stantiam huius Aeonis sive maiestatis fuisse divinam; unde hac in re Manichaei fere aeque ac catholicam fidem profitentes locuti sunt. De sole, quem domicilium habuit, hic Aeon in terram descendit, humanam quidem formam, neque tamen humanum corpus assumens, hominibus plane ac si esset homo apparens [2]). Figuram hominis assumserat, ut facilius hominibus uteretur; potestatem vero habuit varias induendi formas, et ipsis discipulis varia sub specie apparuit; quum enim cum Iohanne, Iacobo et Petro in monte esset, solis vultum ac speciem gessit [3]). Totam Manes doctrinam suam ita efformaverat ut parum sibi constitisset, si Christo verum corpus humanum tribuisset; namque corpus, quatenus e materia est, et lux, quae Christi substantia fuit, adeo sibi contraria sunt, ut utriusque commixtio ne cogitari quidem possit, nisi

---

2) *Tyrbo in Art. Archel. c. 8.* „Pater — — mittit filium ad animae salutem; et veniens filius transformavit se in speciem hominis, et apparebat hominibus ut homo, *quum non esset homo.*"

3) In iisdem *Act. Archel.* c. 50. *Manes* de Christo, „Quando voluit," dicit, „hunc hominem transformavit rursum in speciem solis ac vultum." — Manifestum est, Manetem hisce verbis ad Matthaei (c. 17, 1 sqq.) narrationem alludere, ibique verba, „ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος" ad illum sensum detorsisse.

corrupta coelestis substantiae natura[4]). Quae igitur caeteri christiani de duplici, quam Christus habuisse fertur, natura tradunt, ex Manetis sententia falsa sunt; pari modo, quod Iesum a Maria natum, circumcisum et baptizatum dicerent, irrisit; has esse faculas nefarias, Deique filio indignas, et a Iudaeis quibusdam historiae sacrae quasi squalidos pannos adsutas, quas ipse Salvator abominatus fuisset, se in sinu patris fuisse (Ioh. 1, 18.) indeque prodiisse a patre missum et (Matth. 10, 40.) descendisse de coelis, dicens; venisse eum ergo, non natum esse[5]). Quum enim Manichaei corpus Christum habuisse negarent, eum a muliere natum esse credere non potuerunt; et Manes *Archelao* episcopo (Act. Arch. l. c.) adeo mira huius dogmatis argumenta proponit, ut non possim, quin ea hic repetam,

---

4) *Manes* ipse nos hoc edocet in fragmento *epistolae ad Zebenam* apud *Fabricium Bibl. Graec. Vol. V. p.* 284. „Οὐ γὰρ (φῶς) οὐσίας ἥψατο σαρκὸς, ἀλλὰ ὁμοιώματι καὶ σχήματι σαρκὸς ἐσκιάσθη, ἵνα μὴ κρατηθῇ διὰ τῆς οὐσίας τῆς σαρκὸς, καὶ πάθῃ καὶ φθάρθῃ; τῆς σκοτίας φθειρούσης αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν.“ — cf. Manet. ep. ad Odan. et epist. ad Sudarum ibid.

5) In *Act. Archel. c.* 47. *Manes* „Absit,“ inquit, „ut dominum nostrum Iesum Christum per naturalia pudenda mulieris descendisse, confitear. Ipse enim testimonium dat, se de sinibus patris descendisse. Sunt autem testimonia, *venisse* eum, non natum.“

praesertim quum ex iis etiam Manetis indolem et disputandi rationem bene cognoscamus. Tribus rationibus, quibus reliquos Antinomios etiam ante Manetem usos fuisse constat, adversarium impugnat. Primum Christus ipse se filium Mariae, ergo verum hominem putari noluit: quodam enim aliquando ipsi annuntiante, matrem fratresque eius foris adstare, se non habere nec matrem nec fratres, nisi eos qui voluntati divinae obsequerentur, affirmavit. Sin vero Maria eius mater fuisset, Christus, testibus novi testamenti scriptoribus, etiam fratres habuisset; tum autem plures Christi fuissent. Porro vero si quis dicere vellet, Iosephum cum Maria rem habuisse, is adulterii criminis eam argueret. „Quodsi," pergit Manes, „horum nihil convenit incontaminatae virgini, unde ei (Christo) fratres fuisse adstrues? Quodsi fratres ei fuisse non potes edocere, quomodo Maria mater eius erit?" Deinde Iesus humanam originem omnino recusat; Pharisaeis enim, qui interrogati ab eo, cuius filium ipsum haberent, Davidem patrem nominarunt, ostendit, in hoc ipsos errare, Davidem Christum non filium sed dominum appellare (Matth. 23, 41—46.). Denique Iesus perspicue docuit, se Dei summi unigenitum esse filium; et quum Petrus apostolus talem eum agnosceret exclamans: „Tu es Christus, filius Dei vivi," Iesus eum „statim beatificat, dicens, quoniam revelavit tibi pater meus coelestis." (Matth 6, 16.) „Vide," addit

Manes: „quanta sit differentia eorum, quae ab Iesu dicta sunt: illi enim, qui dixerat: ecce mater tua foris stat, respondit: quae mihi est mater aut fratres? Ei autem qui dixit: Tu es Christus filius Dei vivi, beatitudinem benedictionemque restituit."

Ex his sequitur, omnia, quae de Christo humana, vel humanis similia traduntur, non vere facta esse, sed φαντασίας quasdam fuisse; ad speciem igitur tantummodo Christum natum esse; baptizatum vero eum omnino non fuisse contendit 6). Attamen miracula, quae filius Dei dum inter homines viveret, edidisse fertur, intacta reliquit, eumque his miraculis usum putavit, ut ea, quae docuit, confirmaret, iisque apud homines fidem pararet 7). Itaque Manichaei ser-

---

6) Vid. *August.* c. *Faust.* XXIX, 1. p. 317. ubi *Faustus* ita contra Augustinum disserit: „Extra legem naturae esse constat, peperisse virginem. — — Vos pro certo puerperium fuisse creditis. Aut si ita non est, confiteamini et vos, quia et hoc imaginarie sit factum, ut videretur natus, et omnis nobis profligata erit contentio." — Cf. *Secundin.* *ad Aug.* p. 372. et *Fortunat.* *disp.* c. *Aug.* I, p. 73.

7) *Faustus* (*Aug.* c. *Faust* XXVI, 2.): „Aperuisse oculos caeci, manum aridam sanasse, vocem ac verbum privatis his per naturam redonasse, mortuis et in tabe iam resolutis corporibus compage reddita redintegrasse spiritum, quem non ad stuporem adducat!"

mones et parobalas Iesu pro veris habuerunt, narrantium tamen dolo nonnulla falsa iis admixta esse censuerunt; inprimis Christi orationem in monte ad populum habitam pie colendam duxerunt, quoniam in ea Iesus duo principia docuerit[8]). Neque tamen, e quibus verbis hoc praeceptum enucleaverint cognitum habemus.

Diabolus autem de Christi vita, miraculis et sermonibus iratus, Iudaeos, servos suos, incitavit, ut illum captum trucidarent; in quo praecipue Iuda Iscariota instrumento usus est[9]). *Alexander Lycopolita* librum, quem Manes de Christi cruciatu confecerat, ipse legit, et in scribendo opere suo adhibuit, eoque teste Manes Iesum pati non potuisse docuit[10]), et adhuc fragmentum aliud ex *Manetis ad Zebenam epistola* possidemus, quod idem testatur[11]); praeterea

---

8) *Faust. ap. Aug. l. c. XXXII, 7. p. 322.*

9) *Secundinus* in *epist. ad. August. c. 4. p. 370.* „Ipse non ignoras," scribit, „quam audacter illud molitus sit (Diabolus), ut domino Iscariotem rapuerit; et ut ad ultimum crucis supplicium veniretur, in perniciem ipsius scribas, Pharisaeosque accenderit, ut Barabbam dimitti clamarent et Iesum crucifigi."

10) Vide *Bellesobrium* Tom II. p. 546.

11) *Fabric. Bibl. Gr. l. c.* Οὐκ ἀποθνήσκει καὶ ἐκτὸς σαρκὸς οὐ σταυροῦται. Μίαν οὖν ἔχειν ἄμεινον τὴν φύσιν καὶ ἐνέργειαν τὸ φῶς μηδὲν πάθουσαν τῷ ἐπισκιάσματι τῆς

4 *

multa Augustini et Manichaeorum in eius scriptis dicta exstant, quae declarant, Christum, ut pote simplicem naturam corpore carentem materiaeque omnis expertem, nec mortuum nec passum esse, sed eius umbram haec omnia pati visam fuisse. Quoniam autem in novi testamenti libris, morti domini nostri tantum momentum tribuitur, et, ne illa, quam contenderunt, in speciem facta mors inanis videretur, Manichaei quoque Christi cruciatibus certam quandam vim adscripserunt, optimas ob causas eum hanc miseriam sustinuisse dicentes. „Mysticam praecipue crucis eius fixionem esse“ crediderunt [12]), eaque indicari, sicut Christi corpus in cruce sive ligno (i. e. materia) pependerit, ita quoque animam nostram materiae illigatam esse, mortemque eius et resurrectionem imaginariam nostram depingere mortem ad animam liberandam a mali potestate necessariam [13]).

σαρκὸς οὐκ ἔχοντι φύσιν κρατευμένην. cll. *Faust. l. c. XXIX, 1. p. 313. XIV, 1. XXVI, 1. Evod. de fid. c. 28. p. 29.*

12) *Faust. L. XXVI, 1. p. 357.*

13) *Fortunatus in disp. c. Aug. I. p. 69. 70.* „Hoc sentimus,“ ait, „de nobis, quod et de Christo, qui quum in forma dei esset constitutus, factus est subditus usque ad mortem, ut similitudinem animarum nostrarum ostenderet. Et quemadmodum in se mortis similitudinem ostendit, et se a Patre esse de medio mortuorum resuscitatum; eo modo sen-

Tandem post hanc imaginariam resurrectionem Christus ad patrem in coelum, sive potius in solem, unde venerat, reversus est; qua autem ratione hoc Manichaei factum putaverint, vel quid de Iesu in coelum ascensu statuerint, non satis liquet, quum veteres ea de re omnes excepto *Leone Magno* taceant, qui et hunc Christi reditum Manichaeos negasse refert [14]. Bellesobrius quidem eius traditionem falsam esse et corrigendam suspicatur (P. II. p. 548.); sed quum testimonia desint, difficile est dictu, quid sit accipiendum. Videntur tamen Leonis verba Manichaeis consonare, docentibus, Christum in solem quidem redisse, non vero super omnes coelorum altitudines elevatum esse, ut consideret in Dei Patris dextra.

§. 12.

De iis, quae Christus in hunc mundum missus et spectaverit et effecerit.

Christi adventus in terra duplicem habuit finem, primum ut animis amissam salutem red-

---

timus et de animis nostris futurum, quod per ipsum poterimus ab hac morte liberari."

14) *Leon. Serm. IV. in Epiph. p. 190 ed Quesnel.* „Negent etiam, in conspectu discipulorum ad considendum in dextra patris super omnes coelorum altitudines elevatum."

deret, tum ut Omophorum domaret [1]). Is enim interdum magno suo onere fatigatus eiusque impatiens tremit et laborat et hominibus terrae motibus timorem iniicit; et fieri fortasse potuit, ut aliquando nimia indignatione correptus onus abiiceret mundumque destrueret. Hac de causa Deus Christum in interiores terrae partes descendere baiulumque de eius repugnantia et iracundia punire iussit [2]). Manes ergo plane ac christiani Christi ad inferna descensum accepit; aliam tamen de eo sibi finxerat sententiam, eam nempe, inferna non hominum ante Christum defunctorum animas continere, sed Omophori ibi sedem esse; neque, ut nos, Iesum in terram descendisse credidit, ut salutem ferret miseris, sed ut sublimioris naturae superbiam profligaret.

De altero vero adventus Christi fine, qui fuit, ut animis salutem recuperaret, Manichaei ita loquuntur, ut is, qui eorum placita obiter tantum

---

1) *Tyrbo* apud *Epiphanum* l. c. (*Act. Archel. c. 8.*) „Ὅτι δὲ εἶδεν ὁ πατὴρ ὁ ζῶν θλιβομένην τὴν ψυχὴν ἐν τῷ σώματι, εὔσπλαγχνος ὢν καὶ ἐλεήμων ἔπεμψε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν ἠγαπημένον εἰς σωτηρίαν τῆς ψυχῆς. διὰ γὰρ ταύτην τὴν πρόφασιν καὶ τὴν τοῦ Ὠμοφόρου ἀπέστειλεν αὐτόν.“

2) *Tyrbo* ibidem (*Act Archel. c. 7.*): „Τούτου ἕνεκα τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἀπέστειλεν ὁ ἀγαθὸς πατὴρ ἐκ τῶν κόλπων εἰς τὴν καρδίαν τῆς γῆς καὶ εἰς τὰ ταύτης κατώτατα μέρη, ὅπως αὐτῷ τὴν προσήκουσαν ἐπιτιμίαν δῷ.

contemplatur, eos in hac re cum christianis plane consensisse opinetur. Profitentur enim Christum a Deo missum esse, ut salutem aeternam nobis pararet, sancta sua patrisque voluntate nobiscum communicata, ducturumque eum animas ipsi deditas in aeternum gloriae regnum, et sine eo neminem illuc pervenire posse, mortemque eius hominibus ad impetrandam futurae vitae felicitatem prodesse [3]). Quamvis haec omnia rationem Christi merita pie colentem et amplectentem sapiant; tamen mirum, quantum Manichaei a Catholicis in hoc dogmate distant. Illi enim, Christum morte sua homines a peccatis eorumque poenis redemisse, prorsus non credidere, neque credere potuere, quum is ex eorum sententia vere passus et mortuus non esset, et quum anima bona, utpote Dei pars, immutabilis esset, nec ab ulla contagione attingi, itaque peccatis vere inquinari non posset. Idcirco

3) Ad firmissimum huius placiti testem, **Fortunatum**, provocamus, cuius verba, ex eius *Disp. c. Aug. I. p. 69.* desumta, sequuntur: „Nostra professio est — — (salvatorem) dignas sibi animas elegisse sanctae suae voluntati mandatis suis coelestibus sanctificatas, fide ac ratione imbutas coelestium rerum; ipso ductore hinc iterum easdem animas ad regnum Dei reversuras esse secundum sanctam ipsius pollicitationem. — — Alias animae i. e. alio mediante non poterunt ad regnum Dei reverti, nisi ipsum repererint viam, ianuam et veritatem. Ipse enim dixit: qui me vidit, vidit et patrem meum; et rel.

anima bona per se salvatore, qui eam a peccatis purgaret, non eguit. Quapropter Manichaei Christi munus duplex ita constituerunt: 1) Hominibus memoriam pristini, in quo fuerant, status reddidit, et verum Deum revelavit; hucusque enim partim, ut Iudaei, Diabolum ipsum, partim, ut caeterae nationes, eius satellites tanquam Deos venerati erant. Docuit ergo eos, unde orti essent, cuiusque sit anima et cuius corpus, atque in hoc, utpote malo, peccatorum originem esse quaerendam, animam igitur id agere debere, ut corpus subigat bonisque operibus studeat [4]). 2) Praeter hanc scientiam redintegratam, Christus etiam vita sua exemplum ob oculos posuit, quomodo omnium vita iuste sit instituenda, et qui fieri possit, ut anima tandem carnem vincat: eamque ob causam praecepta morum dedit severissima, iisque, qui illis obsecuturi forent, coelorum regni introitum promisit *).

4) *Fortunatus* in *disp. c. Aug. II. p. 74.* „Qua scientia," ait, „admonita anima et pristinae memoriae reddita, recognoscit, ex quo originem trahat, in quo malo versetur, quibus bonis iterum emendans, quod nolens peccavit, possit per emendationem delictorum suorum, bonorum operum gratia meritum sibi reconciliationis apud Deum collocare, auctore Salvatore nostro, qui nos docet, et bona exercere, et mala fugere."

*) Plura hic iam monenda fuissent, quorum, quum infra tractanda sint, expositionem hic occupare noluimus.

§. 13.

De variis modis, quibus animae ad lucem reducantur.

Restat, ut huic priori disputationis nostrae parti descriptionem divinorum institutorum addamus eorum, quibus animae in regnum Dei reduci dicebantur, unde commode ad alteram partem transire poterimus.

Ex antecedentibus sequitur, omnem animarum salutem in Christi praeceptis sequendis eiusque exemplo imitando positam esse. Neque tamen omnes homines eodem virtutis et pietatis studio agi Manes quoque vidit, sed nonnullos Christo se totos dare et ex mandatis eius vitam instituentes sancte vivere alios vero ita degere, ut Christo quidem obsequi velint, simul tamen cupiditates foveant et sectentur, itaque non eo, quo par sit, modo sese purgare studeant; alios denique beatitudinem per Christum oblatam plane recusare et negligere [1]). Pro hac varia hominnm ad Christi praecepta relatione, variam quoqne post

1) Hanc triplicem humanarum animarum conditionem neque Manes, neque discipulorum eius quisquam disertis verbis docet; attamen ex iis, quae de variis mortuorum poenis aut praemiis in eorum scriptis occurrunt, sponte sequi videtur, ut nulla de eo esse possit dubitatio.

mortem animarum conditionem fore: eos nempe, qui sancte vivere studuerint, etsi nonnunquam Mali dolis irretiti lapsi fuerint, in hac iam vita per Spiritum sanctum illi resistendi postestatem accipere [2]). Neque tamen in hoc corpore totam animarum purgationem absolvi, sed prius quam in lucem recipi queant, corpore defuncto eas duplicem lustrationem subire debere et tum demum in patriam redire. Evehi nimirum mortuorum piorum animas in lunam, ibique a sordibus crassioribus, iis adhuc inhaerentibus, purgatas, in solem transvehi, indeque prorsus lustratas ad Deum remeare [3]). Aeonibus patris

---

2) Divinum auxilium, quod animis fertur, ex Manichaeorum opinione, moribus vel virtutibus adaptatur; quod ex *Augustin. cont. duas epp. Pelag. II*, 2. *Opp. P. X. p.* 286. videmus, qui: „Manichaei meritis bonae naturae," inquit, „Pelagiani autem meritis voluntatis bonae perhibent divinitus subveniri." cf. *Aug. disp. c. Fel. I. p.* 341.

3) Reddidimus ea fere, quae *Augustinus* habet in *lib. de haeres. c.* 46. *p.* 11. „Quidquid vero undique purgatur luminis per quasdam naves, quas esse lunam et solem volunt, regno Dei tanquam propriis sedibus reddi. Quas itidem naves de substantia Dei pura perhibent fabricatas." — Quae Augustinus hoc aliisque locis primis quasi lineis designat, ea *Tyrbo* apud *Epiphan. haer. LXVI.* 26. *p.* 643. (Graeca enim hic Latinae versioni praeponenda sunt) exornata depingit. Ἐλθὼν οὖν (ὁ Χρι-

traditas eas collocari in columna quadam lucis, quam *Aerem perfectum* vocant. Animarum pur-

---

στός) — narrat — „ποιεῖται τὴν δημιουργίαν πρὸς σωτηρίαν τῶν ψυχῶν καὶ μηχανὴν συνεστήσατο ἔχουσαν δώδεκα κάδους, ἥτις ὑπὸ τῆς σφαίρας στρεφομένη ἀνιμᾶται τῶν θνησκόντων τὰς ψυχάς. Καὶ ταύτας ὁ μέγας φωστὴρ ταῖς ἀκτῖσι λαβὼν καθαρίζει καὶ μεταδίδωσι τῇ σελήνῃ, καὶ οὕτως πληροῦται τῆς σελήνης δίσκος, ὃ παῤ ἡμῶν προσαγορευόμενος· πλοῖα γὰρ ἤτοι πορθμεῖα εἶναι λέγει τοὺς δύο φωστῆρας. Εἶτα ἐὰν γεμισθῇ ἡ σελήνη, μεταπορθμεύει εἰς ἀπηλιώτην, καὶ οὕτως ἀπόκρουσιν ποιεῖ τοῦ γόμου, ἐλαφρυνομένη, καὶ οὕτω πληροῖ τὸ πορθμεῖον. — — — Τῆς οὖν σελήνης μεταδιδούσης τὸν γόμον τῶν ψυχῶν τοῖς Αἰῶσι τοῦ πατρὸς, παραμένουσιν ἐν τῷ στύλῳ τῆς δόξης, ὃς καλεῖται Ἀὴρ ὁ τέλειος· ὁ δὲ ἀὴρ οὗτος στύλος ἐστὶ φωτὸς, ἐπεὶ γέμει ψυχῶν καθαριζομένων.“ — Tyrbo igitur Christum machinam fabricatum dicit, rotae similem et in curvatura duodecim cados habentem, quibus animas hauriret. In quo primum notandum, ea quae *Tyrbo* nostro loco *Christo* tribuat, *Epiphanium* (*l. c. cap. 10. p. 626.*) *Sapientiae divinae* tribuere, quoniam ille a Manichaeis etiam Sapientia nominetur (*cf.* §. *6.*) Quaerenti, quaenam sit illa machina, idem *Epiphanius* (*l. c*) ita respondet: „τούτου ἕνεκα ἡ προειρημένη σοφία [i. e. Christus] τοὺς φωστῆρας τούτους κατέθετο ἐν οὐρανῷ ἥλιόν τε καὶ σελήνην καὶ ἄστρων μηχανὴν ἐργασαμένη διὰ τῶν δώδεκα στοιχείων, ὧν Ἕλληνες φάσκουσι.“ Et paulo post addit, hanc machinam animas excipere et rel. In his verbis Epiphanius illam machinam cum Sole et luna coniungit eamque **astrorum machinam** appellat; στοιχεῖα autem Graecis *Zo-*

gatarum substantia lux est, quoniam Dei sunt partes; in unum igitur hae lucis particulae lo-

---

diaci signa indicant. Haec nobis admodum persuadent, Manetem *orbem signiferum* cum duodecim ipsius signis sibi tanquam machinam cogitasse rotae instar, quae duodecim in curvatura fixos urceos gereret. Siderum cultus per totam orbis terrarum regionem orientalem divulgatus et ante omnia *Zodiacus* apud Chaldaeos, Persiae tractum habitantes, magno in honore erat. (vid. Diod. sic. II, 29. Sext. Emp. *adv. Mathem. V. cll. Gesenius Commentar z. Iesaias Th. III. Anh.*) Quum vero Manes ex illis regionibus originem traxisset, quibus iste cultus floruit, quid mirum, si nonnulla inde desumsit et, prout ei visum est, mutavit? Certo *Semleri* explodenda est opinio, qui putavit, duodecim patriarchas illis duodecim urceis significari (vid. *Eiusd, Einl. z. Baumgartens theol. Streitt. p. 302 f.*) Qualem autem Manes illam, quae siderum ope fieret animarum purgationem cogitaverit, difficile est dictu.

Dissensus quoque notandus est. *Tyrbo* enim reditum animarum in lucem ita describit, quasi primum in sole, deinde in luna purgentur; *Epiphanius* vero (l. postremum laud.) rem aliter refert: „Καὶ τὸ μὲν μικρὸν πλοῖον," inquit, „φορτοῦσθαι ἕως ἡμέρων δεκαπέντε, κατὰ τὴν πλήρωσιν τῆς σελήνης, καὶ οὕτω διαίρειν τε καὶ ἀποτίθεσθαι ἀπὸ πεντεκαιδεκάτης, εἰς τὸ μέγα πλοῖον, τουτέστι τὸν ἥλιον." Haec veri similiora nobis videntur; namque sol e bono igne, primario regni divini elemento, quippe quod substantiae lucis sit cognatissimum, conflatus est, luna

cum congregatae, magnam lucis molem formant[4]).

Corporis resurrectionem Manichaei statuere non potuerunt[5]), quum corpus sua natura malum esse, neque Dei iustitiam vel sapientiam decere crederent, animam purgatam denuo exosis materiae vinculis tradere[6]). Corpus mortuum in materiam, unde sumtum est, redit: et Pauli apostoli argumentum, unde caeteri corpus resurrecturum esse mutatumque iri demonstrare se posse sibi videntur, prorsus in contrarias partes torquent, quasi dicat apostolus, nullum fore cor-

---

vero ex secundario elemento, aqua scil. bona, composita est. Magis igitur rerum naturae convenire videtur, si purgationem leviorem aquâ factam suprema et gravissima, qua ignis omnes sordes exureret, exceptura fuisse putabatur. Apparet, Manichaeismi indolem non tantum metaphysicam, sed etiam physicam fuisse; tota enim illa fabula in eo est, ut lunae crescentis et decrescentis rationem reddat.

4) In *Act. Archel. c.* 8. „legitur: permanent animae in columna gloriae, quae vocatur *Vir perfectus.*" Iam dudum a viris doctis animadversum est, Latinum ememplar e Graeco esse confectum maleque interpretem legisse ἀνήρ pro ἀήρ, itaque false vertisse.

5) *August. c. Faust. XI. 3. p. 157.*

6) *Idem. de haeres. 46. p. 12.*

pus, sed solam animam (τὸ πνευματικὸν) ad vitam transituram 7).

Sunt vero etiam animae, quae praecepta Christi, non iusto, quo par est, modo sequuntur, ideoque ne eum quidem purgationis gradum attingunt, ad quem in hac terra pervenire licet; idcirco eas alia purgandi ratio, eaque cum poenis coniuncta manet; namque, pro varia in hac vita morum castitate, a Deo in varia animalium vel etiam plantarum corpora mittuntur: et Manes negligentiae certarum quarundam legum certas distinaverat poenas 8). Auditorum animas optimas quasque docuit in Electorum escas transire, quae si ab his manducarentur, animas ipsis

---

7) *Idem c. Adimant. c. 12. p. 91.* „Quod autem spirituale dixit [Apostolus] corpus in resurrectione futurum, non propterea putandum est, quod non corpus sed spiritus erit."

8) Pauca tantum exempla ex *Tyrbonis* (ap. *Epiph. haer. LXVI, 28. p. 644.*) relatione suppeditamus: „ἐὰν ἡ πεφονευκυῖα ψυχὴ εἰς κελεφῶν [quidnam hoc verbum sibi velit, nemo est, qui sciat] σῶμα μεταγγίζεται. ἐὰν δὲ θερίσασα εὑρεθῇ, εἰς μογιλάλους. — — — Ἀνάγκη αὐτοὺς [τοὺς θεριστὰς] μεταγγισθῆναι εἰς χόρτον, ἢ εἰς φασήλια, ἢ εἰς κριθὴν κ. τ. λ. — — καὶ πάλιν εἴ τις ἐσθίει ἄρτον ἀνάγκη καὶ αὐτὸν βρωθῆναι, ἄρτον γενόμενον. εἴ τις φονεύσει ὀρνίθιον, ὀρνίθιον ἔσται. κ. τ. λ."

inclusas statim liberari; reliquas vero in eorum corpora migrare [9].

Denique animae eae, quae non solum negligentia, sed malitia quadam salutem per Christum oblatam, sive potius Manetis ipsius doctrinam, qua illam unice perfici autumabat, recusaverant, poenis infernis tradendae putabantur. Quum Spiritus vivens mundum fabricaretur, partem ignis mali bono igne non temperatam invenerat, eamque extra mundum in aëre collocaverat: huc mitti somniabat animas, quae sua culpa se non purificassent, et daemonibus tradi, ut per hos igne cruciatae et ita purgatae in alia corpora transirent. Si vero ne nunc quidem sanctimoniae studuissent, in illum ignem denuo reiectas usque ad mundi finem ibi retineri [10]. Aeternas igitur has quoque poenas non habuit, namque postremo omnes Dei partes cum ipso aut coniunctum aut certe materiae imperio subtractum iri Manes dixit, et hoc gravissimum poenarum genus iis maxime minatus est, qui contra ipsius religionem infeste acturi forent, eam aut recusan-

---

9) *Augustin. de haeres. 46, p. 11.* „Animas Auditorum suorum in Electos revolvi arbitrantur, aut feliciore compendio in escas Electorum suorum." *cf. cont. Adimant. c. 12. p. 90. cont. Faust. V.* 10. *p. 144.*

10) *Act. Archel. c.* 10.

tes, aut, quod horribile putavit flagitium, „sanctam Manichaeorum ecclesiam et Electos“ perpersequentes et vexantes [11]).

Ut priori libelli nostri parti finem imponamus, liceat nobis ea addere, quae Manes de mundi excidio fabulatus est, et omissis omnibus, quae in Tyrbonis relatione sunt obscura [12]), perspicua tantum commemorare. Si Deus lucis particularum materiae admixtarum plurimas vario modo purgaverit, tum, ut Omophorus onus suum abiiciat, mandabit, et murum, qui malum ignem i. e. Manichaeorum tartarum, cohibet, removebit; deinde ignis solutus in mundum irruet, omniaque arripiens, eum consumet; simul etiam daemones, in illo igne habitantes, animas, quas puniendas apud se habent, dimit-

---

11) Claris verbis *Manes* hoc dicit in *epist. fundam.* ap. *Evodium de fide contr. Man.* c. 5. *Aug. Opp. VIII. App. p.* 25. „(Animae), quae — inimicae lumini sancto exstiterunt, aperteque in perniciem sanctorum elementorum se armarunt, et igneo spiritui obsecutae sunt, infesta etiam persecutione sua sanctam ecclesiam atque Electos in eadem constitutos coelestium praeceptorum observatores afflixerunt, a beatitudine et gloria terrae sanctae arcentur.“ — Eadem Manes in secundo Thesauri sui libro narrat ap. Evod. l. c.

12) Huc pertinent verbi causa ea, quae de Seniore tertio et de omnibus „δυνάμεσι“ memorantur, quae e Deo manantes in luna ponendae dicuntur.

tere cogentur; eaeque animae, quae se non purgaverint, non quidem in materia relinqui poterunt, quum Dei sint partes, sed etiam in terram lucis recipi nequeunt. Deus igitur eas medias inter utramque terram collocabit muri instar, qui principum tenebrarum in beatum regnum irruptionem prohibeat [13]). Et tandem res ita restituentur, sicut ante utriusque regni certamen fuerunt; Deus cum Aeonibus et omnibus potestatibus suis regnum lucis, Diabolus vero cum servis suis regnum tenebrarum, omni commixtione sublata, obtinebit [14]).

Habes hic brevem descriptionem eorum, quae Manes de rebus humanis ac divinis philosophatus est. Somnia dices, sed lubenter idem

---

13) Vid. *Act. Archel* c. 11. „Deinde [in fine mundi], iterum [daemones] dimittunt animam [i. e. animas, quae cunctae unam efficiunt substantiam, quae e Deo emanavit], quae obiicitur inter medium novi saeculi.“ Cum his bene conferri possunt, quae *Felix in disp. c. Aug. II, 15. p. 351.* dicit: „Hoc non dicit Manichaeus, quia damnati sunt [ii. qui se non mundarunt ab inquinatione mali]; sed ad custodiam positi sunt illius gentis tenebrarum.“

14) *Act. Archel.* c. 11. „Post haec restitutio erit duorum luminarium [male rursus vertit interpres; Epiphanius enim habet: ἀποκατάστασις ἔσται τῶν δύο φύσεων], et principes habitabunt in inferioribus partibus suis, Pater autem in superioribus, quae sua recipient.“

fateberis, Manetem eorum Gnosticorum numero adiungendum esse, qui, licet Mosaicam oeconomiam aspernarentur, eamque a malo quodam daemone introductam putarent, sanctissimam tamen vitam et ipsi degerunt et suis commendarunt, summam vitae in eo ponentes, ut homo peccatum, quod ipsius naturam, quondam Deo similem, deformaverit, omni modo, vel quavis voluptate spreta, vincere et exstirpare studeret.

PARS ALTERA.

DE INDULGENTIIS SIVE PECCATORUM REMISSIONIBUS QUAS MANICHAEI EXERCUERE.

§. 14.

Praecognoscenda.

Manetis philosophia duplicem habuit finem, quod iam supra (§. 4. et 11.) monuimus, eum, ut primum mali et boni commixtionem, et, quae inde necessaria fuit, mundi creationem illustraret; et deinde rationem declararet, qua bonum materiae malae illigatum ab ea liberaretur. Illud philosophici tantum momenti fuit, hoc vero cuiusvis hominis intimas curas tetigit, virtutem, beatitudinem, imo aeternam vitam expetentis. In humana natura malum illud, quod reditum animarum ad patrem impedit, peccatum est; hoc igitur aboleri debet. Itaque Manes omnis ge-

neris praeceptis suos a peccatis purgari iussit; eandemque ob causam severam instituit morum disciplinam, qua prohibere voluit, ne homines ulla ratione a materia, ex qua omne malum venisse credidit, vincirentur. Sed hisce vilibus praeceptis, quae haud raro innocuarum et ad vitam necessariarum rerum usu interdixere, discipulis suis multifariam praevaricandi occasionem dedit; et tantum abest, ut praescripta illa morum sinceritas vitae sanctimoniae profuerit, ut eam difficiliorem redderet. Iis autem, qui in peccata inciderent, duras post mortem poenas praedixit, quas eum quum in metemphychosi quadam, tum in ignis terribilis tormentis posuisse, vidimus. Fieri autem non potuit, quin, pro debilitate naturae humanae etiam Manichaei interdum a virtute recederent et ita lucis liberationem impedirent eoque poenam divinam sibi contraherent.

Huic duplici malo egregiam praepararunt Manichaei medicinam, qua et ligatam lucem — i. e. bonum — solverent, et poenis dignum hominem insontem purumque redderent. Nemo, quod nos quidem, varia de Manichaeis scripta perscrutati, sciamus, hanc rem hucusque tetigit, quum is veterum scriptorum, qui de ea refert, paucis tantum, et recentissimis modo diebus, innotuerit. Haud ingratum igitur nonnullis fortasse videbitur, si ea, quae ille offert, in omnium conspectu ponuntur.

CAPUT I.

MANICHAEORUM INDULGENTIAE DESCRIBUNTUR.

§. 15.

Ephraemi Syri de remissione peccatorum, apud Manichaeos usitata, narratio.

Iam supra (§. 3.) indicavimus ea, quae *Ephraemus Syrus* in *sermonibus suis adversus haereticos* passim contra Manetem eiusque scholam disseruit; in secundo vero eorum sermonum (*Opp. Syr. Tom. II. p.* 440.) contra varios haereticos, partim omnibus notos, partim tales, quorum praeter ipsum nemo mentionem iniicit, disputat, maxima autem ira contra Manichaeos incensus, de eorum pravitate fusius agit: quem locum totum hic ad verba translatum latine reddimus, ut quisque ipse iudicare possit *).

---

*) Textum Syriacum totius carminis in appendice descriptum leges, ubi etiam de metro, caeterisque, quae hunc hymnum prae aliis insigniunt, disseremus.

Str. I. „Manes fuit amiculum [1]) (eius?), qui ipsius attrivit vestes."

Str. II. „Et ecce canes Manetis hominem quemlibet invadunt, cuique obvio propter panem quotidianum abblandientes [2]). Canes morbidi sunt, qui quum panis buccellas non inveniant, [quibus esurientes vesci possint], peccata et debita remittunt. Qua in re admodum rabiosi

---

1) ܡܐܢܝ ܗܘܐ ܡܐܢܐ lusus est verborum, quo Ephraemus Manetis nomen in ipsius opprobrium vertit. Explicat vero hanc formulam Ephraemus ipse. *Serm. I, p. 438. C.*

ܘܨܥܪ ܠܒܪܘܝܗ
ܒܡܐܢܝ ܐܝܟ ܒܡܐܢܗ
ܠܒܫܗ ܘܡܠܠ ܒܗ܀

i. e. „[Diabolus] in Manete, tanquam in amiculo suo, [i. e. Manete tanquam amiculo usus] eius creatorem foedavit, illo indutus et per eum locutus." Simili Graeci verborum lusui indulserunt, ut *Epiphanius haer. LXVI, 1.* — ἐπονομάσας ἑαυτῷ τὸ τοῦ Μάνη ὄνομα, τάχα, οἶμαι, ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ οἰκονομίας, τὸ μανιῶδες ἑαυτῷ ἐπισπασάμενος ὄνομα.

2) ܡܫܪܒܛܝܢ propr. *caudam motitantes*, de canibus, dominis abblandientibus. Est vero haec vox particip. formae quadrilitterae ܫܪܒܛ, quae obsoleta est; unde derivatur ܫܘܪܒܛܐ *blanditiae.*

sunt [3]), et digni, qui contundantur; quum unus tantum sit, qui peccantibus peccata remittere possit."

Str. III. „Ad arbitrium suum torquent verbum Veracis [Iesu Christi] [4]), qui discipulis suis potestatem dedit, semel tantum per aquas humanae naturae peccata expiandi, ipsisque concessit, ut solverent et ligarent; hunc vero, qui ligatus esset, eum precibus adire iussit, qui omnia remittit; ut qui omnia expiat, nos quoque *ob* dolorem nostrum expiaret."

Str. IV. „Namque par est, [angore malae conscientiae] conturbari, qui languori animi deditus [5]), peccatis se obruit. Quod si vero is, qui omnia remittit, propter dolorem nostrum

---

3) ܟܠܒ *rabiosus fuit.* Forma Peal huius verbi in *Castelli* lexico desideratur, sed apud Ephraemum nostrum saepius legitur cf. Ephr. opp. Syr., Tom. II. p. 337. A. (de canibus). pag. 515. E. 550. E. Aphel. *rabiosum fecit:* Ibid. p. 438. C. — *Pet. Benedictus:* „Et in hoc quidem multa laborant insania, et acriter contundendi sunt, quia Unus est, qui peccantibus peccata remittit."

4) Perquam libere et falso *Benedictus* vertit: „Frustra de verbo illius, qui vera loquitur, arbitria faciunt."

5) ܐܬܬܢܝܚ (Ethp. verbi ܢܚ quievit) duplicem significationem habet: 1) *quievit* i. e. tardus fuit ad vitam sanctam; ita ut hoc vocabulum eam animi conditionem depingat, quam dogmatici

etiam nobis [peccata] remittit, nugae sunt, quod illi pro panis frustulis nobis peccata remittunt [6]. Propheta ille, Busi filius, contra te vaticinatus est: „„panis frustulis vaticinia vendunt et inquinatis porrigunt [7].““ Et sublata est poenitentia ventris gratia [8].“

---

statum securitatis appellant. 2) *refocillatus est s. se refocillavit* scil. voluptatibus, ergo: *voluptate captus est*, voluptati indulsit. Utraque vocabuli vis textus sensui adaptari potest. *Benedictus* posteriorem sibi sumsit: „qui captus voluptate deliquit.

6) ܠܡܚܣܝܘܢ a ܚܣܝ *expiavit. Benedict*: „Nugas vendunt, qui de panis frustulis iustitiam nos sperare iubent.“

7) Allegat Ephraemus locum vaticiniorum *Ezechielis*, quo is a Deo contra prophetissas Israelitarum vaticinari iussus, Cap. 13. vers. 19. secundum versionem Peschito, ita loquitur:

ܘܛܘܫܬܘܢܝ ܠܥܡܝ ܒܡܠܘܐ ܕܣܥܪܐ
ܘܒܦܬܘܬܐ ܕܠܚܡܐ ܠܡܩܛܠ ܢܦܫܬܐ
ܕܐܡܝܬܢ ܕܠܐ ܚܝܒܢ ܗܘܝ ܠܡܡܬ.

i. e. „Contaminatis populum meum pro pugillis hordei et frustulis panis ad perimendas animas, quae mori non debebant.“ Ephraemus non ad verbum prophetae dictum recitat, quod per metrum non licuisse videtur, sed sensum tantum exprimit. *P. Benedict*: „Filius Buzi te appellat, dum impios accusat, assuetas divinationes pro fragmine panis licitari.“

8) *Benedicti* versio sensum bene reddit: „Sublata poenitentia opsonatur ventri.“

Str. V. „[Cave] puer, ne [his hominibus] confidas, ne operam perdas. Canna enim quassata est remissio eorum; namque, qui peccatum condonare audet, is illud adauget Inerti quidem et homini pravorum morum haec sapientia admodum placet 9). Neque profecto quisquam foret, qui in gehennam descenderet; et mihimet ipsi arrideret hic mos minime laboriosus."

§. 16.

Ephraemi locus paucis adumbratur.

Hanc Patris Syri relationem si omnibus iis exuimus, quibus auctoris vel sensus poeticus ornavit, vel pium quoddam studium auxit, ea fere inde discimus. Non Manes quidem ipse, sed sequiori tempore nonnulli eius discipulorum [1])

9) ܫܦܪ *elegans fuit*; quod autem decorum et elegans est, placet intuenti; itaque 2) *placuit.* cf. Ephraem. in Genesin Opp. Syr. Tom. I. pag. 18. ܐܢ ܫܦܪ ܠܗ „*si ei placuerit,*"

1) Nondum Manetem illam doctrinam proposuisse, ex ea ratione, qua Ephremus contra Manichaeos hoc loco disputat, verisimillimum imo certum est. Nam postquam Manetem ipsum diaboli instrumentum appellavit, quo is ad decipiendos et perdendos homines usus sit, haud amplius de illo locutus in eius discipulorum (quos canes ignominiose nuncupat) perversum dogma de peccatorum

Christi sermonem, quo discipulis potestatem dedit, hominibus peccatorum veniam vel concedendi vel denegandi [2]), ita interpretati sunt, ut inde illam potestatem etiam sibimet ipsis vindicarent, quasi Christus haec verba non discipulis suis duodecim solum, verum iis etiam, qui quondam in ecclesia eorum vestigia pressuri forent, locutus esset. Recte quidem Manichai novi testamenti loca, quae ea de re agunt, explicarunt, sed confecerunt ex iis, quae inde non sequuntur. Illo enim divino iussu, quem ad se, quasi ad genuinos Christi discipulos, pertinere putarunt, nixi, ab hominibus eos adeuntibus dona emendicarunt, et quasi divina auctoritate peccatorum remissionem non solum promiserunt, sed re vera impertiverunt. Quum iis vero per Manetis praecepta pecunias possidere non liceret, dona, quae expetierunt, non

---

remissione summa cum indignatione vertitur. Neque dubium mihi videtur, Ephraemum propter magnum, quo contra haereticos actus est, odium, in tantae haereseos insigne caput tam grave probrum iactandi occasionem vix praetermissurum fuisse.

2) Verba Ephraemi Christi verba tangunt: *Matth.* *18, 8.* „Ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ." Quid hicse sibi velit, dominus noster ipse explicat, qui apud *Ioh.* 20, 23. „Ἄν τινων" inquit, „ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς· ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται."

tam nummi, quam — quod Ephraemi verba, et ea, quae infra dicenda sunt probant, — cibi fuisse videntur. Probabile est, hanc consuetudinem initio inter Manichaeos duntaxat viguisse, et ab Electis solis illas indulgentias exercitas fuisse; deinde vero vel avaritiam vel fanaticum studium eos impulisse, ut eas catholicis quoque offerrent. Sed iam primis Manichaeorum sectae temporibus illa consuetudo necessario exorta est; namque Ephraemi diebus, qui saeculo vix post Manetem vixit, adeo vulgaris fuit, ut in more iam esset, cuivis obvio pro porrecto dono peccata remittere.

Hanc perversam omnique virtuti adversam Manichaeorum sententiam Ephraemus iure suo et fortiter impugnat. Unum tantum esse, qui nobis peccata remittere possit, Iesum Christum, Dei filium; eumque nonnisi discipulis suis, secundum singularem suam gratiam potestatem tribuisse, veniam peccatorum dandi; unicam vero conditionem, qua eam veniam impetrare possimus, contritionem esse cordis, tristitam divinam, quam de peccatis nostris sentiamus; necessariamque esse eam contritionem homini voluptatibus (s. securitati) dedito, peccatisque obruto, ut inde ipsi spes proveniat, a Christo salutem et remissionem culpae accipiendi. Illum vero haereticorum morem inertiam gignere peccatumque et alere et augere, eundemque esse, quem Deus in vetere testamento iam per prophetam vituperaverit.

Videmus hic apud Manichaeos indulgentias fere tales, quales nonnulla post saecula in ecclesia catholica invenimus; tunc temporis bonus Ephraemus omnibus viribus pugnavit, ut ecclesiae suae doctrinam puram contra haereticae sectae letiferam contagionem servaret, non divinans profecto, eum errorem, quem ipse perniciosissimum depinxerat, aliquando a summo catholicae ecclesiae capite sancitum, fontem uberrimum fore, e quo, ut Manichaei alimenta, ita istius satellites opes largas hausturi essent.

At illud Manichaeorum institutum non temere, neque sine ulla cum caeteris eorum placitis coniunctione, ortum esse potest, sed communi cum hoc alterove Manetis dogmate contineri vinculo putandum est. Necessarium igitur videtur, in sequentibus originem indulgentiarum Manichaeorum inquirere, et eas doctrinas accuratius describere, quibus illae commode annecti possunt, ut deinde has cum iis indulgentiis, quas catholica ecclesia inde a duodecimo saeculo largiri solebat, comparare possimus.

CAPUT II.

MANICHAEORUM DE PECCATO OPINIONES.

§. 17.

De duabus animabus.

Omnium Manetis placitorum fere difficillimum explicatu est id, quod de peccati natura proposuit; namque quae de ea re in fragmentis librorum eius nobis conservata sunt, et obscura et exigua tantum sunt; haec tamen cum iis, quae quum Manichaei recentiores, tum eorum adversarii produnt, consona; ita ut certo statuere possimus, hos nihil in re mutasse, sed nonnunquam Manetis ipsius opinionem aut non satis percepisse, aut non commode delineasse; quo factum est, ut interdum sibi contradicere videantur.

Quum Manes omne malum, quod est, ad materiam, tanquam supremam eius causam revocaret, non potuit, quin et malum, quod in humana natura animadvertitur, ex eodem fonte derivaret. *Unde esset peccatum*, quaestio difficilis erat. Num a Deo profectum est? Non ita; Deus enim per se bonus est, neque mutari potest, itaque malum naturae suae prorsus oppo-

situm efficere nequivit. Sed *unde ipse homo?* — Hac altera quaestione prior illa soluta erat [1]). Homo enim non natura simplex, sed composita erat, et ad Deum et ad materiam pertinens; ab illo animam, ab hoc vero corpus accepit: in corpore igitur peccati causa quaerenda est. Corpus vero s. caro per se vita omnique efficacia caret, nisi accedat facultas quaedam vigens, quae illi iuncta media est, qua corpus cum anima coniungatur, ita ut vim in eam exercere possit. Hanc facultatem vingentem Manichaei *animam* vocabant *alteram*, quam, quum arctissime cum corpore cohaereat, eandem cum corpore originem e materia traxisse arbitrabantur, malamque nuncupabant. Haec sunt duo animarum genera, quae Manichaei docuisse feruntur, quorum alterum secundum naturam suam necessario bonum, utpote a Deo profectum, alterum autem necessario malum putabant, quippe quod

---

1) *Augustinus* eam quaestionis rationem ostendit, namque in libro *de duabus animabus c. 8. p. 60.* omnia a Deo esse pluribus de causis argumentatus, quae Manichaei contra haec moneant, ita exhibet: „Unde ipsa peccata, et omnino unde malum? Si ab homine, unde homo? Si ab angelo, unde angelus? Quos ex Deo esse quum dicitur, quamvis recte vereque dicatur, videntur tamen — quasi per quandam catenam ad Deum mala et peccata pertinere.“

Diabolum auctorem haberet [2]). At non aeternum hunc rerum statum, sed per se utrumque elementum alterum ab altero suparatum fuisse, et ex infausto illo certamine quum in universa natura tum in homine mixtum esse, iam (§. 9 et 10.) vidimus [3]).

In diiudicanda quaestione, quid Manichaei nomine *animae malae* significaverint, et Manetis ipsius eiusque discipulorum et Augustini perspicua verba verum nobis ostendunt. Quum caro sive corpus proprium in homine malum sit, quocum illa anima coniuncta est, Manichaei sub illa

---

2) *Augustin. ibid. c. 12. p. 63.* „Duo animarum genera esse dicunt, unum bonum, quod ita ex Deo sit, ut non ex aliqua materia, vel ex nihilo ab eo sit factum, sed de ipsa eius omnino substantia pars quaedam processisse dicatur; alterum autem malum, quod nulla prorsus ex parte ad Deum pertinere credunt, credendumque commendant. Et ideo illud summum bonum, hoc vero summum malum esse, praedicant. Atque ista duo genera fuisse aliquando discreta, nunc esse commixta.“ cf. *Ibid. c. 1, 13. p. 63. De vera relig. c. 9.* Opp. Tom. I. pag. 562. *Retractatt.* I, 15. Tom. I. pag. 17.

3) Permisit autem, sive potius effecit eam permixtionem Deus bonus, ut malum certis quibusdam finibus circumscriberet. *Fortunatus* certe (disp. c. August. II. pag. 78.) etiam atque etiam tergiversatus, Augustino, cur Deus animam in mundum miserit, quaerenti, respondet, hoc factum esse „ideo, ut naturae contrariae modum imponeret.“

voce propensionem omnem hominibus communem, qua malum appetunt, et inprimis cupiditates intellexere, quae e carne profectae animam bonam tangunt et movent, praecipue vero illam cupiditatem, quae fere mater est omnium peccatorum, *concupiscentiam*, dico, utpote primum, quem anima mala creaverat, fructum (vid. supr. §. 10.) [4]. Concupiscentia enim primum animam bonam in Adamo inquinavit, postquam per longam iam temporis intervallum sancte vixerat [5]. Manichaei concupiscentiam a caeteris peccatis diligenter distinxerunt, reliqua peccata singulas agendi formas substantiae accidentes, concupiscentiam autem substantiam quandam esse autumantes [6]. Omnia enim peccata, externo quodam impulsu animam moventia, subito fiunt, neque sunt nisi eo momento, quo peraguntur; sed con-

---

4) *Augustin.* op. *imperf. c. Iul. III, 176.* Tom. X. pag. 835. „Videsne, concupiscentiam mali esse originem, per quam miserae animae libidini serviunt?"

5) Totam de primo peccato fabulam supr. §. 10. exposuimus.

6) *Augustin. cont. duas epist. Pelag. II, 2.* Opp. T. X. p. 285. „Manichaei carnis concupiscentiam non tanquam accidens vitium, sed tanquam naturam ab aeternitate malam vituperant." — Cf. *Manet. epist. ad fil. Menoch.* ap. *August. op. impf. III. p. 832. de haeres. c. 46. p. 13. August. c. Julian. III, 176. p. 328.*

cupiscentia cum corpore nata crescit cum eo et cum eo demum moritur [7]). Hanc igitur concupiscentiam primarium vitium habuerunt, e quo omnia peccata hominum repetenda sint.

Quid anima bona Manichaeis fuerit, etsi non diserte dicunt, facile tamen intelligitur. Partem eam substantiae divinae sive lucem appellant per Deum homini datam; eamque fontem omnium bonarum actionum esse produnt, quae in perpetuo certamine cum mala naturae concupiscentia versetur, facultatem autem habeat, eam superandi [8]).

Si vero originem huius doctrinae spectamus, non Maneti soli eam propriam sive ab ipso inventam reperimus, sed varia vestigia eius et tunc temporis, et iam antea cernimus. Praesertim autem inter scriptores ecclesiae catholicae illorum saeculorum, et gentilium philosophorum

---

7) *Manes* hoc docet *in epistola ad filiam Menoch.* ap. *August. c. Iul. III, 187. p. 833.* „Omne peccatum“ inquit, „extra corpus est, quia actuale est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Omne enim peccatum antequam fiat, non est; et post factum memoria sola eius operis, non ipsa species manet; malum autem concupiscentiae, quia naturale est, antequam fiat, est, quum fit, augetur, post factum et videtur et permanet.“

8) Cf. *Augustin. de duab. anim. c. 1; Epist. Secundin. ad Aug. c. 2. pag. 369.*

quorundam et inprimis auctorum novi testamenti exemplo receptum erat, hominem in tres partes dividere. Discernebant enim in homine primum *vitam physicam*, quae eum mundo, quoad sensibus obnoxius est, et animantium ordini inserit, quocum cibi et potus, aliarumque corporis functionum vinculo continetur, (*corpus*, *σῶμα*). Deinde in homine alia quaedam vita cognoscitur, quam *vitam animalem* (*seelisches Leben*) nominemus, et quae eum in summo vitae terrestris gradu ponit, ita ut omnes vitae hominumque in hoc mundo degentium rationes perspicere possit. (*anima*, *ψυχή*). Praeterea vero in homine vires sunt, quibus in res divinas fertur, quarum ope, se altiori cuidam rerum naturae et ordini adnumerandum esse, cognoscit, (*spiritus*, *πνεῦμα*) *). Hanc igitur sententiam Patres quoque amplexi sunt, ut *Iustini Martyris* (qui in corpore animam, in ea autem spiritum habitare philosophatur), et *Tatiani* testimoniis probari potest. *Origenes* quidem 9) non omnes christianorum

---

*) Qui accuratius hanc doctrinam scriptorum novi testamenti perspicere cupit, is adeat ea, quae bene disputata sunt in *dissertatione ad festum paschatis pie celebrandum invitante*. Regiomonti 1825. (*Olshausenio* viro clariss. auctore).

9) *Origin. de princip. III, 4, 1.* „Haberi a quibusdam quaestio solet huiusmodi, utrumnam velut duae animae in nobis dicendae sint, una quae-

praeceptores ita censuisse, sed tres praecipue floruisse sententias refert; nonnullis duas corpori animas inesse [10]), aliis unam tantum animam, et caeteris unam animam, eamque tribus partibus constantem, in homine esse, existimantibus. Quamvis autem in his dicendi formulae diversae sint, tamen commune aliquid iis inesse facile intelligitur: Origenes enim, quid ψυχή sit, non satis

dam divinior et caelestior, alia inferior: an vero ex hoc ipso, quod corporibus inhaerens, (quae corpora secundum propriam quidem naturam mortua sunt et penitus exanima, quia ex nobis, id est ex animabus corpus materiale vivificatur, quod utique contrarium est et inimicum spiritui) trahimur et provocamur ad haec mala, quae corpori grata sunt; an vero tertium, quod quidam Graecorum arbitrati sunt, quia anima nostra, quum una sit per substantiam, ex pluribus tamen constet partibus, et una pars eius rationabilis, pars vero alia irrationabilis dicatur, et ea quidem pars, quam irrationabilem dicunt, in duos rursum dividatur affectus, cupiditatis et iracundiae."

10) *Bellesobrius* (*l. c. Tom. II. p. 420.*) huic classi etiam *Tatianum* adnumerat, qui *cont. Graec, Opp. Iustini ed. Sylburg. p. 150* scribit: δύο πνευμάτων διαφορὰς ἴσμεν ἡμεῖς, ὧν τὸ μὲν καλεῖται ψυχή, τὸ δὲ μεῖζον μὲν ψυχῆς θεοῦ δὲ εἰκὼν καὶ ὁμοίωσις. Apparet, procul omni dubio Tatianum hoc loco ea in mente habuisse, quae supra de differentia inter ψυχὴν et πνεῦμα diximus, neque tamen eum iisdem verbis usum fuisse.

recte cognoverat [11]). Omnes vero illae sententiae in eo consentiunt, quod statuitur, in homine quoddam esse medium, quod moveatur inter duas vires moventes.

Has temporis illius ideas Manes quoque secutus videtur in iis, quae de natura humana docuit; quod inde quoque probabile est, quod *Zoroaster* similia tradidisse fertur [12]), quae ille ex patria religione cognita habuerit necesse est. In eo tantum erravit, quod subliniorem utriusque animi partis unitatem non perspiciens, inferiorem vim malam habuit et e malo, quod statuit, principio derivavit.

Ut hanc de duabus animabus doctrinam probaret, Manes ad scripturam sanctam provocavit, cuius verba pro arbitrio torsit, eumque ex iis confecit sensum, quo ei opus fuit. Iis vero praecipue locis utitur, in quibus sermo est de „carne

---

11) Sicut πνεῦμα significat *vim superiorem*, quae in homine agit et imperat, ita ψυχή significat: a) *vim inferiorem*, quae agitur, movetur, cui imperatur; huc pertinent facultates, quae homini tribuendae sunt, quatenus in hoc mundo vivit, velut *memoria*, *intellectus* (*Verstand*), *phantasia*, quam vocant et aliae. — b) *hominem quatenus per se spetatur* et persona habetur; et hoc sensu una tantum anima nominatur.

12) *Zend-Avesta* ed. *Kleuker*. et ibid. vid. libr. *Bundehesch* Vol. III. p. 90. et *Anhang zum Zend Avest*. Vol. I. pag. 352.

concupiscente contra spiritum et spiritu adversus carnem" [13]), neque minus illis, quae differentiam inter hominem veterem et hominem novum, et certamen legis spiritus adversus membrorum legem describunt. Quum haec contraria in homine sint, — Manes opinatus est, non unam animam ab uno eodemque auctore profectam i. e. Deo bono, quippe qui sit natura simplex, neque ullam diversarum partium coniunctionem admittat, in homine esse posse, scd, ut duo diversa sibique contraria principia in universa natura, ita in homine duas diversas sibique contrarias animas necessario credendas esse: peccatum vero tum fieri, quando animae malae cupiditates contra animae bonae voluntatem certantes eam devincant.

Iam vero si quis ex nobis quaereret, utrum Manichaei *peccatum originis* agnoverint, nec ne, incerti essemus, neque statim haberemus, quid responderemus. Augustinus quidem permultis operum suorum contra Pelagianos scriptorum

---

13) *Augustin. de utilit. ieiun. c. 4.* Opp. Tom. VI. pag. 462. „Alterum auctorem carni, alterum spiritui posuerunt. Utuntur quasi testimonio apostolico: caro concupiscit contra spiritum et spiritus adversus carnem." — cf, Eiusd. disp. c. Fortun. I. pag. 72. 75. *Manet. epist. ad fil. Menoch.* ap. *Aug. op. imp.* III, 177. pag. 822. Loca scripturae sacrae, ad quae Manichaei provocant, vide Rom. 7, 23. 8, 7. Gal. 5, 17. 6, 14.

locis id potissimum agit, ut Pelagii asseclas vituperet et impugnet, propterea quod Manichaeorum vestigia prementes et quasi ipsi Manichaei sint, peccatum originis esse negent [14]). Caeterum autem haeretici nostri ipsi de hac re ita loquuntur, ut facile alicui persuadere possint, se quoque peccatum originis humanae naturae insitum agnovisse. Accuratius igitur rem intueamur necessarium videtur.

Augustinus de peccato haec fere docuit. Homo a Deo secundum ipsius imaginem purissimus creatus, nihil mali, sed facultatem bonum aut malum eligendi acceperat [15]). At malum elegit, eoque peccavit, atque per eum sive in eo simul omnes posteri peccaverunt [16]), et hac via

---

14) *Augustinus c. duas epist. Pelag. IV, 4. Opp.* T. X. p. 313. „Quia," inquit, „nec ipsi [Manichaei] adstruunt originale peccatum ex homine primo prius puro et recto corpore et spiritu et postea per arbitrium liberum depravato, deinceps in omnes cum morte transire et transiisse peccatum."

15) *August. c. Fortun. I, 22. pag. 75.* „Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est. Ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati eius resisteret, si vellet Dei praecepta servare."

16) *Idem ibidem.* „Posteaquam autem ipse libera voluntate peccavit, nos in necessitatem praecipitati sumus, qui ab eius stirpe descendimus." cf. Eiusd. de *peccatorum meritis et remiss. lib. III. c. 14, 7.*

peccatum in mundum hominesque irrepsit. Humana natura et physica et moralis Adami primo peccato corrupta est, et quilibet homo cum hac corrupta naturae suae indole nascitur et peccare coactus est. Propagatur autem illud vitium originis carnali voluptate, quae cum generationis actu coniuncta est (concupiscentia) [17].

Cum Augustini sententia *Manetis* opinionem conferamus. Adamus, — ita docuit, — non purus creatus est, sed, etsi maiorem partem lucis (sive divinae substantiae) in se habuit, tamen etiam aliqua materiae (malae substantiae) parte repletus fuit. Et initio quidem ita vixit, ut virtute malum opprimeret, sed postremo, illecebris libidinosis non resistens, peccavit, ex quo tempore concupiscentia, quae prima peccati causa fuerat, in omnibus hominibus ita valet, ut anima bona infirmata parum contra illam valeat [18]. At qui factum sit, ut haec concupiscentia vel in Adami propagine vigeat, expressis quidem verbis Manichaei nusquam dicunt; supra vero iam vidimus, eos quoad animae propagationem *Tra-*

I, 2. Op. imperf. contr. Iul. VI, c. 22 — 23. De civitata Dei, XIII. 12. De liber. arbitr. III, 51. Retractatt. I, 15.

17) Vide: Viri s. V. et doctissimi *Wiggers Versuch einer pragmat. Darstellung des Augustinismus und Pelagianismus. pag. 335. sqq.*

18) Vide supra §. 10.

duciānos fuisse [19]; et quae ibi indicavimus, hic paulo accuratius definire liceat. Cognovimus in prioribus, animam malam cum corpore arctissime coniunctam putandam esse, eamque una cum eo et gigni et propagari. *Anima* vero *bona*, quae non ab eodem cum anima mala et corpore principio profecta est, cum his neque una neque eodem modo gigni et propagari potest. Nempe in plantis et in frugibus haud minus quam in homine nonnullae lucis particulae inclusae sunt, quae e cibis, quibus homines vescuntur, in eos transeunt: iam si homo sancte viveret, et ab omni libidinis cupidine liberum se conservaret, corpore defuncto illae lucis partes i. e. bonae animae in patriam redirent; verum quum concupiscentia libidinem excitet et ad concubitum stimulet, inde fit, ut anima bona in corporibus parentum ligata et coinquinata hoc ipso naturali actu ad filios transeat [20]) Quodammodo igitur dicere nobis licet, etiam animam bonam gene-

---

19) Vide supra §. 9.

20) *Augustin. cont. duas epist. Pelag. IV. 4. l. c.* „[Dicunt Manichaei] animam bonam — — pro meritis inquinationis suae per cibos et potum, in quibus antea colligata est, venire in hominem atque ita per concubitum carnis vinculo ligari." — Accuratissime hanc rem Augustinus in libro *de Manichaeorum moribus cap. 15. no. 37. pag. 543.* exponit.

ratione propagari; in quo tamen id tenendum est, hunc propagandi modum non esse eum, quem Deus bonus destinaverit; sed animam bonam sic propagari posse tandummodo propterea, quod antea iam ligata sit.

His, quae modo disputata sunt, sedulo consideratis animus inclinat credere, vel Manichaeos, saltem quodammodo, *peccatum originale, nisi in thesi, tamen in praxi docuisse,* In singulis enim huius dogmatis partibus Augustini sententiam cum Manichaeorum opinione congruere nemo negare potest, praesertim quum propagationem animae per traducem, et primi hominis peccatum ex concupiscentia ortum et exinde omnes homines depravans, spectaverit. Unicum et id gravissimum, quo Augustinum ab hoc Manichaeorum dogmate abhorruisse fortasse aliquis diceret, id foret, Adamum ex illius sententia antequam peccaverit, libero arbitrio gavisum esse, ex Manichaeorum vero opinione, eo caruisse. Itaque necesse erit huic difficultati paulo studiosius animum nostrum intendere, ut inde eruamus, quatenus ex Manichaeorum doctrina homini peccata imputari potuerint, et quatenus hanc ob causam remissione eorum indiguerit, si aeternam et beatam vitam recuperare voluerit.

Simulque ex his nobis apparere videtur, Augustinum, quum contra Pelagianos dimicaret, permulta e Manichaeismo sibi desumsisse, eaque ad ipsius, quas habuit de rebus divinis et

humanis, sententias excolendas plus fecisse, quam ipse fortasse concessurus fuisset.

§. 10.

De libero arbitrio quid Manichaei statuerint.

Animae duae, quas descripsimus, in quovis homine perpetuo dimicant, quum unius indoles ea sit, ut malum expetat, alteramque, reluctantem et bonum diligentem, vincere et ad malum faciendum eam pellicere conetur. In quo necessaria nobis videtur quaestio solvenda, quantum potentiae s. virium utrique earum insit, seu, utrum anima bona adeo sit invalida, ut inimicae naturae illecebris vix resistere, nedum eas opprimere possit, sed potius semper ab eius appetitibus trahatur, an facultatem habeat, animae adversae motus sedandi et id, quod ipsi placet, faciendi, id est, *an libero arbitrio gaudeat*. Augustinum si hac in re audimus, cum eo aliisque antiquis scriptoribus, Manichaeos animae bonae bene vel male agendi facultatem tribuisse, plane negare cogimur [1]. Hunc, ut videtur, satis gravem testem et ducem fere omnes recentioris aevi scriptores secuti sunt; *Moskemius* enim

1) Aug. *de haeres. 46. p. 13.* „Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis tribuunt."

et post eum *Walchius* [2]), cum Manetem, tum omnes eius discipulos arbitrium liberum negasse produnt: neque *Semlerus*, qui in locis haud paucis rectius, quam antecessores, vidit, vera nos docuit et, qui ultimus in lucem prodiit, *Reichlinus* hanc doctrinam omnino non tetigit.

Iam hoc quidem viris eruditis non vertendum videtur vitio, quod in Manichaeos errorem iis prorsus alienum contulerint, quum hi sane ipsi adeo obscure et inconsiderate hac de re loquuti sint, ut quid tandem sibi velint, dubium esse possit. *Fortunatus* enim [3]) ita disputat, quasi liberum arbitrium reverà evertere conetur, et animam ad peccatum invitam trahi et cogi, asseveret. Sed quamvis haec Manichaei hominis dicta

---

2) *Moshemii comment. etc. pag. 842. — Walch's Ketzergesch. Th. I. p. 7. 68.*

3) In *disput. c. Augustin II. p. 74.* ita argumentatur: „De substantiis proposui — — — quod ex ipso [Deo] non sunt. Caeterum si ex ipso essent, aut daret licentiam peccandi, quod dicis liberum arbitrinum dedisse Deum, consensor iam inveniebatur delicti mei eo; quod delicti mei auctor esset: aut ignorans, quid futurus essem, delinqueret, quem ipse se non dignum institueret. — — — Nam quia inviti peccamus et cogimur a contraria et inimica nobis substantia; idcirco sequimur scientiam rerum." — Eodem revolvitur Fortunatus in continuata hac disputatione. pag. 75.

virorum supra laudatorum sententiam fovere videantur, tamen mox, eorum sensum alium esse, intelligemus. Causa enim totius huius litis in eo posita mihi videtur, quod, quid liberi arbitrii nomine significandum sit, non satis conspicuum fuerit. Plerique illo vocabulo facultatem nuncupare solent, quam homo habere dicitur, vel sic vel alia ratione agendi, i. e. modo bonum modo malum faciendi. Quodsi hoc verbi sensu animae bonae liberum arbitrium adscriberemus, Manichaei quam acerrime nobis contradicturi forent, nullo modo fieri posse, affirmantes, ut anima, quae a natura sit bona, imo summi boni integra pars habenda, malum facere vel tantum velle possit, eaque licentia, quae vocetur, eam profecto carere, neque opus quidem ei hac licentia esse, quum per se malum semper reiiciat, et bonum necessario illi praeferat. Idcirco quandocunque Manichaei liberum animae arbitrium reiiciunt, nihil agunt, nisi ut hanc licentiam removeant; et suo iure Fortunatus dicit: „nos inviti peccamus," i. e. non meliorem sequimur intellectum, sed cupiditatum vi abripimur.

Liberum arbitrium ergo non est mera eligendi facultas, sed potius hominis est *potestas, ea, quae ratio vera ac iusta cognovit, sequendi et perficiendi;* est igitur licentia, non malum aut bonum, sed *solum bonum eligendi;* quum is, qui cupiditatum vi agitur, liberum se esse nullo modo dicere possit, sed concupiscentia captus

teneatur. Eamque, quam nunc diximus, libertatem Manichaei quoque animae vindicarunt, at non omnem hominem ea praeditum putarunt. Etenim duplicem, secundum Manichaeorum placita, animae statum distinguere licet: primum, in quo est, antequam homo Christum noverit, et alterum, in quem eius salubri luce illustratus transit. Iam in illo priori statu, qui est ex quo Adamus libidinosis mulieris blanditiis sopitus peccato se tradidit, mala omnium hominum anima viribus naturae bonae praevalet, ita ut haec iustum ac honestum bene quidem cognoscens, imo faciendum esse intelligens et facere cupiens, potentioribus tamen illecebris adversis resistere nequeat, et, licet invita sinere coacta sit, ut adversaria natura peccatum patret, quoniam sufficiens ad bene agendum vis eam deficit. Hac in conditione homo viro similis est, qui a validiore quodam correptus est et captus tenetur et multifariis tormentis ab illo cruciatur. Quis tandem contendet, hunc miserum non ardente ferri cupidine ab illa iniusta violentia se liberandi; imo etiam quam maxime niti eum, ut vincula exosa rumpat? At vires eius non sufficiunt ad validum hostem superandum. — Ex hoc autem infirmitatis et servitutis statu homo (sive anima bona) in statum roboris ac libertatis absolutae deducitur, simul ac Iesu Christi, salvatoris per Deum ad animas salvandas de coelo missi, divinam auctoritatem amplexus eius prae-

cepta sequitur, atque eius sapientiâ imbutus se ipsum miseramque suam conditionem, inimicae potestati subditam, perspicit: tum ei divinitus auxilia mittuntur et vires suppeditantur, quibus adiutus cupiditatum motibus non solum resistat, sed etiam iis imperet eosque tollat. Nunc, si illam, quam supra incepimus, parabolam continuare licet, illi viro capto amicus quidam auxilio venit, eique armis porrectis occessionem praebet, sese liberandi.

Haec Manetis ipsius eiusque discipulorum testimoniis clarissimis confirmantur; e quibus ad Fortunatum, gravissimum testem primum provoco, cuius verba alii, qui nostrae sententiae adversantur, ad suam opininionem declarandam adhibuerunt. Iste enim maxime perspicue hominis duplicem statum describit, priorem servitutis s. imbecillitatis, alterumque libertatis, virtutis ac cognitionis à Christo impetrandae, et subiungit tanquam Christi mandatum id, ut bona exerceamns, mala vero fugiamus; quod certo subiungere non debuisset, si animam recte faciendi libera potestate carere putavisset 4). Ea-

4) Fortunatus l. c.: „Nam quia inviti," inquit, „peccamus et cogimur a contraria et inimica nobis substantia, idcirco sequimur scientiam rerum. Qua scientia admonita anima et memoriae pristinae reddita, recognoscit, ex quo originem trahat, in quo malo versetur, quibus bonis iterum emendans, quod no-

dem ratione vel Secundinus Manichaeus de duabus hominis conditionibus loquitur et quando homo carnis commixtione superatus, non propria voluntate ductus et quando, postquam se ipsum cognoverit, anima peccet, malo igitur consentiat, neque amplius invita trahatur [5]). Denique *Manes* ipse nobis testis prodeat, et rem

---

lens peccavit, possit per emendationem delictorum suorum bonorum operum gratia meritum sibi reconciliationis apud Deum collocare, auctore Salvatore nostro, qui nos docet et bona exercere et mala fugere." — Verba: „idcirco sequimur scientiam rerum" in sequentibus illustrantur, et fere eadem significant, quasi auctor dixisset: „studemus nostram conditionem perspicere, ut inde vere liberi fiamus."

5) Secundinus in *epist. ad. Augustin. c. 2. pag. 369.* „Si anima," ait, „ab spiritu vitiorum incipiat trahi, et consentiat, ac post consensum poenitudinem gerat, habebit harum sordium indulgentiae fontem. Carnis enim commixtione ducitur, non propria voluntate. At si, quum se ipsam cognoverit, consentiat malo, et non se armet contra inimicum voluntate sua peccat." — Nonne haec sole clarius nostram opinionem rectam esse declarant? Patet enim duas animae conditiones sibi opponi, eam, „quum se ipsam cognoverit — — — et voluntate peccet," et eam, quum se ipsam nondum cognoverit, ac „commixtione carnis trahatur;" in illa arma animae sunt, quibus hostem debellet et devincat; in hac vero imbecilla et inermis et capta rapitur.

nostram agat, qui discipulis suis inculcat, fieri posse, ut etiam anima per Christum erudita, iis adiumentis, quae hic ei attulerit, non, ut decet, utatur et leges eius nonnunquam transgrediatur [6]; in quibus tacite concedere mihi videtur, animae conditionem etiam eiusmodi esse posse, ut per Christum nou sit erudita, eiusque beneficiis non fruatur.

Haud mediocre percipiebam gaudium, quum, postquam ea, quae antecedunt, perscripseram, et ut *Bellesobrii* de hac difficili quaestione sententiam cum mea conferrem, eius librum evolveram, hunc eruditum virum mecum plane consentire, invenirem. Liceat nobis, ut finem huic disquisitioni imponamus, paucis Bellesobrii [7]) sententiam describere.

---

6) *Augustinus disp. c. Fel. II, 5.* ex *Manetis* libro, quem *Thesaurum* inscripserat, haec affert: „Hi vero, qui negligentia sua a labe praedictorum spirituum purgari se minime permiserint, mandatisque divinis ex integro parum obtemperaverint, legemque sibi a suo liberatore datam plenius servare noluerint, neque, ut decebat, se gubernaverint etc.“ — His ad iungam ea, quae Augustinus velut commentarium adiecit: „Qui enim,“ dicit, „servare legem non vult, in potestate eius est, si velit. Non enim dixit [Manes]: non potuerint, sed: noluerint; — — si autem nolint, non utique coguntur, ut non faciant, sed voluntate sua nolunt.“ cf. Evod. *de fide c. 5. pag. 25. l. c.*

7) Tom II. pag. 437, sqq.

Manichaei voluntatis humanae libertatem non negant, sed pro vario hominis statu, illam quoque variam esse dicunt, et eiusmodi status tres ponunt: statum innocentiae, statum corruptionis et statum gratiae. Inde triplex libertatis genus conficitur. a) spontaneitas, quae exclusa omni quidem vi, necesssitatem quandam tamen admittit. b) facultas bene vel male agendi. c) indifferentia quaedem, in qua voluntas sibi constat, neque ad malum, neque ad bonum inclinans. Itaque anima in origine sua libera est, quia facultatem habet malo resistendi 8): lapso autem homine anima non

8) Hoc nimirum Manichaei tradere videntur. *Augustinus* enim *disp. c. Fel. II, 6.* ex *Actis a Lentio* quodam conscriptis (apocrypho libro, de quo videas Bellesobrium T. I. p. 348.) nonnulla affert, quae illud verisimile reddunt. „Etenim," hic illic scriptum est, „speciosa figmenta, et ostentatio simulata et coactio visibilium nec quidem ex propria natura procedunt, sed ex eo homine, qui *per se ipsum deterior factus est* per seductionem." Non satis quidem liquet, utrum hoc de unoquoque homine sit intelligendum, — tum enim omnino Bellesobrio assentiremur, qui tertium quendam homines statum ponit, in quo perfectam habeat libertatem — an auctor Adamum in mente habuerit, quem iam dudum, ex Manichaeorum dictis, facultatem habuisse sancte vivendi at libidine tentatum lapsum esse, scimus. Et nobis quidem commodius videtur, illa quae Lentius dicit, in Adamum referre; praesertim quum nusquam

ipsam quidem facultatem omnino amisit, sed eius usu caret, quum et originem suam et sui ipsius malique naturam ignoret, et concupiscentia eam adeo vexet, ut resistere nequeat. Evangelium autem a Christo annuntiatum animam ex his vinculis liberat, eique vires porrigit, domandis cupiditatibus pravis sufficientes, ut, si velit, Deo obedire possit.

Error igitur Manichaeorum in eo positus est, quod hominem Christi doctrina tantum eruditum eiusque viribus sustentatum et armatum, voluntatem suam sequi et perficere contenderint, orthodoxi contra hominem, in qualicunque sit conditione, actionum suarum tenere imperium, et tam bene quam male pro voluntate sua agere posse, docuerint 9)."

---

me legere meminerim, Manichaeos quidquam dicere quod probabile redderet, quod Bellesobrio videtur, illum tertium hominis statum ab iis doctum esse. Contra potius ex antecedentibus admodum verisimile est, ex eorum opinione, primum peccatum Adami certe quodammodo cum posterorum peccatis cohaerere.

9) *Augustinus contra Felicem* (*II*, *3*. *p*. *346*.) disputans eius opinioni suam de humana voluntate opinionem opponens ita loquitur: „Veritas [i. e. scriptura sacra] dicit, omnia ista quae videmus, quae naturaliter subsistunt, a Deo facta esse: in quibus rationalem creaturam, etiam ipsam factam, sive in angelis, sive in hominibus accepisse liberum

§. 19.

De imputatione peccati.

Iam expositis Manichaeorum de varia voluntatis natura placitis, videndum erit, quid tandem peccatum iis fuerit, et quatenus animae inde culpam provenire consuerint. Augustino quidem si patientem commodares aurem, eos nullum prorsus peccatum statuisse existimares; quum id, quod quis secundum naturam et indolem suam facit, opprobrium ei esse non possit et eadem ratione nemini id, cuius ne ullam quidem potestatem habet, imputandum sit [1]). Quisque autem facile intelligit, eum nimio disputandi ardore magis quam placida veritatis ratione ductum eam argutam conclusionem effecisse. Quamvis enim anima mala ea sit, quae non nisi malum facere possit, id autem animae bonae imputari nequeat, tamen nondum inde sequitur, id

---

arbitrium: quo libero arbitrio si Deo servire vellet, secundum voluntatem ac legem Dei, haberet apud eum aeternam felicitatem: si autem legi eius subdi noluisset sed potestate sua usus contra eius fecisset imperium, secundum eius iustitiam poenae debitae subiaceret." —

1) *Augustinus* hoc subtili argumento *contra Felicem* utitur *Disp. II*, 8. „Secundum vos," inquit, „nulla peccata sunt; gens enim tenebrarum non peccat, quia quod facit, facere cogitur."

quod mala natura egerit non verum esse peccatum; omne enim factum, quod contra divinam legem pugnat, peccatum est censendum, a quocunque sit patratum. Verum cui tandem imputabitur? Malaene animae? Absit; ea enim pars est principii mali, neque Deus in eam ullam directe habet vim, ut quae illa facinora commiserit, punire ei liceat. Nihilominus tamen vel Manichaei Deum malorum ultorem omnes veriti sunt [2]) Idcirco nihil restat, nisi ut ad animam bonam quaestionem dirigamus, an huic forte culpa aliqua sit iniicienda. Atque revera omnes pravae naturae actiones quodammodo ad illam pertinent respectu tamen utriusque status habito, de quo supra diximus. In priori illa conditione, quando anima bona adversae naturae praevalentis imperio subiecta est, sine peccato manet, si ita dicere licet; solam enim habet facultatem bonum cognoscendi et a malo distinguendi ac cupiendi, faciendi vero potestate caret. Quum autem, acceptis per Christum divinae gratiae auxiliis, his praesidiis instructa anima malis appetitibus non resistit, et habenas, quibus eos retinere debet, laxat; tum, etsi malum ipsum non facit, bo-

---

2) *Fortunatus* in *disp. c. August. II. pag. 47.* id tali modo profitetur: „De substantiis proposui, quod bonorum tantummodo Deus creator, malorum vero ultor habeatur; eo quod mala ex ipsa non sunt.“

num tamen, quod facere et debuisset et potuisset, praetermittit; et hoc ei probrum recte obiicitur.

Provocant Manichaei ad Christi ipsius augustissimam auctoritatem. Is enim discipulis suis praedicit, fore, ut post ipsius mortem homines eos propter ipsorum erga praeceptorem defunctum eiusque iussa fidem et obedientiam vexaturi eoque magnam sibi culpam contracturi sint, quoniam ipsius verba et instituta divinitatis sigillo adeo perspicue insignita sint, ut sola malignitas id ignorare possit; si ergo ipse non venisset, illi in talem culpam irruere non potuissent. Manichaei autem id, quod Iesus certi temporis et certarum rerum respectu habito dixerat, contra loci sensum ita explicarunt, quasi Christus hoc de omnibus hominibus eorumque ad ipsius doctrinam relatione locutus esset [3].

3) Plane et perspicue **Fortunatus** hoc expedit in *disp. c. Aug. II. pag.* 75. „Nam quod dicis," ita Augustino respondet, „contrariae naturae debet imputari peccatum? — — — Id est peccatum animae [i. e. bonae, quam Manichaei simpliciter animam appellant,] si post commonitionem Salvatoris nostri et sanam doctrinam eius a contraria et inimica sui stirpe se non segregaverit anima et purioribus se adornans, aliter non potest substantiae suae reddi. Dictum est enim: „Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc vero, quia veni et locutus sum, et noluerunt mihi credere, veniam de peccato non habebunt." —

§. 29.

De poenitentia et peccatorum venia.

Quum Manichaei peccata esse et animae bonae imputari posse crederent, necessario quoque concedere debuerunt, poenas his peccatis destinatas esse [1]; et quaenam earum poenarum natura fuerit, in antecedentibus exposuimus (§. 13.) Deus autem pro magna, quae ipsum commovet, misericordia, ante omnia id efficere studet, ut sui ipsius partes, quae sunt animae, purgatione earum facta, ad se reducat. Sicuti ergo homini imbecillitate oppresso per Christum gratiam offert, quae eum roboret et illuminet, ita illuminato, quum denuo peccatorum sordibus se inquinavit, viam novae purgationis indicat; nimirum licet ei poenitendo peccatum corrigere et sic puro fieri [2]. Manichaei vero duplex poenitentiae genus statuisse mihi videntur. Nam quamdiu anima in statu corruptionis degit, prohibere quidem pec-

1) *Secundini epist. 2. pag.* 369. „Si [anima], cum eodem peccato sine venia recedat, tunc excludetur tunc virgini stultae comparabitur.“

2) *Augustin. de ver. relig. c. 14. Tom. I. p.* 564. „Non autem recte negat peccasse animam qui et poenitendo corrigi eam fatetur.“ Scilicet Augustinus in his a poenitentia, quam Manichaei statuerunt, argumentum contra eorum de peccato dogma desumit.

catum non potest, sed de eo dolere ipsi licet, partim propterea quod factum sit, partim quid impedire illud nequiverit [3]); et huius doloris gratia animae venia peccatorum promittitur. In altero vero statu, quo anima et evangelii a Christo traditi lumine et Spiritus sancti gratia [4]), gaudet, non minus atque in priori opus ei est poenitentia: nam si voluntate sua peccat, in multo gravius vitium incidat necesse est, itaque longe vehementiorem de eo dolorem sentire debebit, ut divinam recuperet misericordiam, quae id penitus abstergeat, quod salutis negligentia et divini praecepti incuria deliquerunt. Post Iesu Christi igitur cognitionem iustum poenitentiae locum Manichaei assignarunt, tumque eam vim habere

3) Poenitentiam agere animae invalidae *Secundinus* eo loco, quem supra descripsimus, quam maxime suadet eamque in illa „indulgentiae sordium fontem habere" dicit.

4) Manichaeos vel *Spiritus sancti* adiumenta ad emendationem morum necessaria existimasse, clare ostendunt ea, quae *Secundinus* Augustino scribit, quem, ad Manetis scholam eum revocaturus, exhortatur, ut ad id quod verum sit convertatur. „Dignus es," Secundinus scribit, „qui ab iisdem [divinis maiestatibus] talia munera consequaris, iidemque veritatis tuae nutritores efficiantur, vere lucerna, quam in cordis tui candelabro Dextera posuit veritatem, — — illumque a nobis repellant atrocem spiritum" etc.

omnia delicta delendi et expiandi divinamque clementiam impetrandi, putarunt [5]).

Maximum ergo ex eorum opinione poenitentiae est momentum; si enim homo eam intermittit, post mortem duris poenis se obnoxium reddit [6]), et Dei maximi consilia irrita facit; sin vero facinorum malorum eum poenitet, divinam clementiam et istorum veniam adipisci potest, quae semel impetratae ei reditum in Dei regnum aperiunt. Secundum propriam et antiquissimam Manetis doctrinam totius morum disciplinae id summum fuisse videtur, ut homo a peccatis abstineat, et si necessariam virtutis curam neglexerit, peccatorum remissionem poenitentia expetat.

Secundum scripturam sacram poenitentia est dolos, quem quis ad Iesum Christum eiusque

---

5) Revera a Manichaeis poenitentiae post Christum cognitum tantam potestatem adscriptam fuisse, quantam diximus, *Fortunatus* in *disp. c. Augustin. II. pag. 75.* testatur. „Unde [scil. ex Ioh. 15, 22.] patet," inquit, „recte esse poenitentiam datam post adventum salvatoris et post hanc scientiam rerum, quae possit ac si divino fonte lota de sordibus et vitiis — — regno Dei, unde progressa est, repraesentari."

6) Expressis verbis *Secundinus* l. c. hoc dicit: „Non enim," ait, „punitur [anima] quia peccavit, sed quia de peccato non doluit." Unde Manichaeis peccatorum summum fuisse videtur poenitentiae defectus.

salutem conversus de morum suorum pravitate et de peccatis suis sentit, vitam suam pristinam abominans et optans, ut ab hoc malo liberetur. Ecclesia catholica iam inde a priscis temporibus inter attritionem et contritionem cordis distinxit, contritionem eam animi conditionem appellans, qua homo peccati horrore perfusus et consilio se corrigendi repletus est, attritionem vero subitum terrorem dicens, qui e timore poenarum, non e sceleris odio prodeat 7). Hanc igitur poenitentiae notionem si cum ea conferimus, quam Manichaei sibi finxerant, eos in hunc lapsos fuisse errorem facile cognoscimus, ut recte quidem poenitentiae, neque tamen virtutis, quae cum ea sit coniungenda eamque sequi debeat, necessitatem agnoscerent, sed poenitentiae per se nimiam scelera expiandi vim tribuerent. Persuasum quidem habeo, Manetem, quem puri cordis et sanctae vitae virum fuisse iam declaravimus, rem sibi

---

7) Licet nondum vocabula eadem, rem tamen eandem apud *Augustinum* iam reperis, in eius *epistola ad Nectarium Opp. Tom. II. pag. 222. epist. 104.* ubi haec scripsit: „Poenitentia, sicut scribis, impetrat veniam et purgat admissum; sed illa quae in vera religione agitur, quae futurum iudicium cogitat, non illa, quae ad horam hominibus aut exhibetur, aut fingitur, non ut a delicto anima purgetur, sed ut interim a praesenti metu molestiae vita cito peritura, liberaretur.“

plane ita cogitasse, qualem scriptura sacra proponit: nam quem vere vitiorum poenitet, is profecto eam, qua hucusque incessit, viam deseret. At eiusmodi sensus, non in omnibus hominibus animadvertitur, et plerique aliud quid pro poenitentia habent. Fere nullum enim, opinor, invenies, quem, nisi totus iam malignitati immersus fuerit, flagitii sui vel negligentia vel commodi et voluptatis causa commissi non pudeat, et qui, se non fecisse quod fecerit, aliquando non malit. Quem conscientiae malae motum quum multi cum vera poenitentia commutent, idem etiam Manichaeorum multis accidere potuit, ut, si modo non amantes peccati essent deque eo gauderent, satis fecisse se divinae legi putarent. —

Iam vero finitis singulis Manichaeorum de peccato opinionum disquisitionibus, totum dogma respicientes eius summam breviter exponamus. — Cognovimus, recte quidem Manichaeos, quod tunc temporis ab omnibus fere, qui de rebus divinis philosopharentur, fieri solebat, et hisce diebus plurimis theologis, ut videtur, placet, *universam humanam naturam in tres partes divisisse*; sed in eo errasse, quod vitam sensualem (*Sinnenleben*) cum corpore coniunctam a spiritu omnino disiungentes, hunc ad Deum, istam ad materiam s. malum principium pertinere censerent et peccatum e maligno fonte derivarent. Porro vidimus, hac disiunctione non factum esse, quod fortasse aliquis suspicari posset, ut ani-

mae bonae liberum arbitrium abiudicaverint; sed eos potius *duas animae conditiones*, libertatem et captivitatem dico, interponentes tunc peccare hominem dixisse, quando libertatem nactus, cupiditatum vim sequendo ea non uteretur. Denique intelleximus, ex eorum mente omnia *peccata poenitentia lui* potuisse, idque fuisse gravissimum vitium, si anima libera de facinore, negligentia sua commisso, non doleret, eumque dolorem fontem divinae clementiae putandum esse.

Remissio peccatorum igitur Manichaeis perquam necessaria fuit, quum ut animae beatitudinem aeternam recuperarent i. e. ad Deum redirent, a quo infelice illo proelio avulsae erant, tum ut is, quem Deus universum mundum creans habuit, finis perficeretur. Homo autem, natura sensibus obnoxia, plurimam cognitionis suae partem iisdem sensibus percipit, et vel eam scientiam, quam ratione sive ipse conficit, sive aliunde accipit, ullo modo cum ea, quae a sensibus pendet, coniungere studet: maxime vero de rebus arduis et praecipue divinis ratio humana imbecillis via quadam externa auxiliisque quibusdam sensuum ministerio accipiendis certiorem se facere cupit. Itaque ignoscendum est homini, cuius animus res suis viribus assequi nondum valet, si summum bonum, quod attingere ipsi licet, clementiam divinam dico, adeo sibi proprium facere conatur, ut certissime se eam possidere sentiat. Quare id vel in Manichaeis, licet

haeretici nominentur, non condemnabimus, dolebimus tantum, quod eo aberraverint, ut actionibus quibusdam indulgentias peccatorum quodammodo emere se posse, falso crediderint.

Postquam poenitentiae necessitatem intelleximus, nunc quaestio nobis se offert, cuinam apud Manichaeos tanta potestas fuerit, ut peccatorum veniam largiri posset. Catholica ecclesia vetus, quod *Ephraemi* exemplo discimus [8]), a Christo eam ad discipulos descendisse docuit; unde iste Manichaeos vituperio perstringit, quod ius sibi arrogaverint, quo uti ipsis non liceat. Non quasi in ecclesia catholica, post Christi duodecim apostolos defunctos, nemo amplius hac potestate gavisus esset (episcopos enim eodem munere functos esse, scimus); sed quoniam in ecclesia sola veritatem esse integram [9]), neque haereticos iisdem cum illa divinis beneficiis frui posse, fere ab omnibus credebatur. Quo autem iure Mani-

8) Vide §. 15 str. III. „Ad arbitrium torquent verbum Veracis, qui discipulis suis potestatem dedit, tantum p e r a q u a s humanae naturae peccata expiandi.“

9) *Ephraem. Syr. hymn. II. l. c, str. XVIII.*

ܒܗ̇ ܒܥܕܬܐ ܡܫܡܠܝܐ

ܫܪܪܐ ܗܘ ܡܫܡܠܝܢ ܠܗ̇܀

i. e.“ In ecclesia veritas est, eaque perfecta, illamque perficiens.

chaei illa beneficia eamque potestatem sibi adsciverint, iam iam declaraturi sumus.

CAPUT III.

DE MANETE PARACLETO.

§. 21.

Quonam sensu Manes se Paracletum dixerit.

Quaestionem, quam paulo antea proposuimus, ut rite enodare possimus, quid Manes de persona, quam sustinuit, ipse statuerit, indagetur necesse erit; de quo quum iam ante nos a viris eruditis egregie disputatum sit [1]), brevius rem expedire poterimus.

Saepe iam et multum de munere ac nomine, quae Manes sibi adscivit, disceptatum est, quum et se ipse et eius asseclae eum *Paracletum* sive *Spiritum sanctum paracletum* appellent; quod multi ei magnum in crimen duxerunt, quasi

1) Ablegamus lectorem prae omnibus ad *Bellesobrium*, *Tom. I. pag. 251. seqq.* et *Moshemius* l. c. *pag. 740—748.*

Deum se fecerit; alii autem variis de causis eum ab hac accusatione liberare conati sunt. Ego quidem censeo, in eiusmodi causis historiam unice esse consulendam, an forsan ex ea, quid verum sit, cognosci possit: eamque viam nunc ingredi mihi liceat [2]).

Manes, natione Persa (cf. Bellesobr. I. pag. 66.), in patria terra educatus et eruditus est. Est igitur probabile, patriae mores in eius ingenium excolendum haud levem habuisse vim, ac scriptores vitae Manetis et orientales et occidentales in hoc consentiunt, eum magna eruditione, et imprimis orientalis theosophiae accurata scientia ornatum fuisse [3]); orientales praeterea libri, eum ex nobili Magorum familia ortum et Zoroastris religionem, quae tunc per illam terram divulgata erat, aggressum fuisse eamque corrigere voluisse, perhibent. His acta disputationis Archelai addunt (l. c.), praecipuam rerum absconditarum scientiam Manetem ex quatuor libris Terebinthi sumsisse, qui ab angelis se nutritum esse

2) Historia Manetis, relationibus scriptorum Graecorum et orientalium inter se dissidentibus, adeo confusa est, ut, quid verum sit vix discerni queat, et iis tantum fides habenda esse videatur, quae utrique fonti communia sunt.

3) *Act. Archel.* c. 53. „Eruditus [Manes] secundum doctrinam, quae in illis locis est, et paene dixerim, super omnem hominem.“

gloriatus est. Itaque Manes antequam christianam religionem cognoverat, Zoroastris doctrinae senescentis restauratorem et reformatorem se gessit, sive, quod orientalibus hominibus idem esse solet, prophetae munus a Deo sibi mandatum esse, sibimet ipsi persuasit 4). Haec Manetis de se ipso opinio multum accepit nutrimenti in christianorum libris, quos deinde novit, quorumque argumentum suis placitis adaptavit 5). Im-

---

4) Firmat nostram sententiam *Mirkhondus* (*in historia Sassanidarum*), qui Manetem Sapore regnante prodiisse et prophetam se praedicasse, sub Vararanis autem imperio demum cognita in itineribus, quae fecisset, religione christiana, Paracletum se appellavisse prodit. cf. *Sylv. de Sacy memoires des antiq. de Perse*. *pag.* 289 et 294.

5) Accuratiorem harum rerum notitiam ex *Act Archel.* c. 53. haurimus, quae referunt, Manetem tres sibi elegisse discipulos, quibus libros suos tradiderit. „Tunc visum est ei," auctor porro scribit, „mittere discipulos cum his, quae conscripserat in libellis, ad superiora illius provinciae [Babyloniae] loca et per diversas civitates et vicos, ut haberet aliquos se sequentes." Per hos discipulos ex itineribus redeuntes christianae doctrinae eiusque codicum sacrorum famam accepit eosque sibi afferri iussit. *Ibid.* c. 54. „Post haec ad magistrum suum redeuntes — — referentes, quae iis acciderant. Deinde iubet, in carcere positus, legis christianorum libros comparari; valde enim hi, qui missi fuerant ab eo per singulas civitates, ab om-

primis vero ea, quae de augustiore sua dignitate et officio sibi persuaserat, in illis scriptis idonea probari ratione opinatus est Iesus. Christus enim e terra discedens, discipulosque propter discessum suum consolaturus iis promittit, a patre advocatum quendam — παράκλητον — ipsis se missurum esse, qui eos et sapientia coelesti illuminaturus et fortitudine ad perpetiendas miserias roboraturus sit. Iam quum Manes in religione christiana multa reperisset, quae ipsi placerent et cum iis consentirent, quae e patria religione sumserat, alia autem inter sua placita, fortasse ex mysticis illis libris recepisset, quae in christianorum libris desiderari ei videbantur, in his scientiam illam pleniorem ac profundiorem, quam Christus promisisset, positam, seque ipsum illum Paracletum esse, qui illam revelaturus esset, persuasum sibi habuit [6].

---

nibus hominibus execrationi habebantur, maxime apud quos christianorum nomen venerationi erat. Sumpto ergo aliquantulo auri modo, abierunt in loca, in quibus christianorum libri conscribebantur, et simulantes, se esse nuntios christianos, rogabant, praestari sibi libros nostrarum scripturarum, et deferunt ad eum."

6) Plane haec, quibus nihil verisimilius cogitari potest, *Acta* l. c. docent his verbis: „Quibus [libris] ille acceptis occasiones inquirere dualitatis suae, — — et in nostris libris assertionem suam proferre.

Ex his cuivis, qui aequus est atque a partium studio alienus, apparebit, Manetem dignitatem suam non in natura quadam a caeterorum natura diversa, quam a Deo acceperit, sed in sublimiori solummodo et penitiori rerum divinarum scientia, a Deo sibi ad homines erudiendos impertita, posuisse; atque istum non magis, quam Zoroastrem et Muhammedem sive alios orientis philosophos, numen aliquod se habuisse putabis, quum etiam illi prophetarum nomina sibi arrogarent. Manes prophetae munus sibi mandatum esse censuit, priusquam religionem christianam noverat, ea vero cognita opinioni suae de semet ipso certam aliquam formam conciliavit secundum ea, quae christiana doctrina de Paracleto tradidit, fictam. Falsae igitur criminationes sunt veterum christianorum, qui, Manetem se Christum ipsum vel Spiritum sanctum fecisse narrant [7]. *Christi Apostolum* quidem se ipse sae-

——— Inveniens autem vocem de Paraclito positam in scripturis, semet ipsum esse subiecit, qui non legerat diligenter etc.

7) *Eusebius H. E. VII*, 31. de eo dicit: „Χριστὸν αὐτὸν μορφάζεσθαι ἐπειρᾶτο· τότε μὲν τὸν Παράκλητον καὶ αὐτὸ τὸ πνεῦμα ἅγιον.“ Paulo aequius *Cyrillus Hierosolymitanus* de Manete iudicat: *Catech. VI*, 14. „Ἐβλασφήμησε, πνεῦμα ἅγιον ἑαυτὸν εἰπών.“ — *Leo I.* vero (*Serm. II. in pentec.*) gravissime accusat Manichaeos, qui „in Manichaeo

pissime appellat, nunquam autem Christum, quum omnes fere epistolas, quas scripsit his, verbis inchoaverit: „*Manichaeus, Apostolus Iesu Christi* [8].“ Neque testimonia desunt, quae declarant, eum Spiritum sanctum, tertiam divini numinis personam, sive, quam ipse nominavit, maiestatem de semetipso plane seiunxisse, quum ad eum preces funderet, neque suspicari liceat, tantae fuisse hominem dementiae, ut se ipsum adorasset [9]. Imo id ne ullo quidem modo fieri potuit, ut Manes hanc divinam maiestatem hypostatice sibi coniunctam arbitraretur; namque is, qui hanc sententiam, Christum corpus huma-

---

apparuisse Spiritum sanctum crediderint — — ut non aliud fuerit Manichaeus ipse quam Spiritus sanctus.“ De quo loco vide *Bellesobr. I. pag.* 256. *sq.*

8) *Augustin. c. Faust. XIII*, 4. „Dicitur, Manichaei omnes epistolas exordium habuisse istud: „„Manichaeus Apostolus Iesu Christi etc.“ “ — Et sane una, quam de eo habemus, epistola ita incipit. Vid. *August.* c. epist. Manich. 5. pag. 111. cf. Moshem. l. c. pag. 742.

9) In *epistola* sua *fundamenti* (*Augustin. disp. c. Fel. c.* 26. *pag.* 341.) ita loquitur: „Pax Dei invisibilis — — sit cum fratribus. — — Sed et dextera luminis eripiat vos ab omni incursatione maligna; — — — *pietas vero Spiritus sancti intima vestri pectoris adaperiat*“ *etc.*

num sumsisse, absurdam et divinae naturae non convenientem esse censuit, quomodo idem Spiritum sanctum carni immersum fuisse credere potuit [10])? Quum ergo Manes se Apostolum Christi vel Paracletum nuncupat, nil intelligit, nisi hominem merum prae caeteris excellenti et insigni quadam scientia et intellectu praeditum, quem Christus ad genus humanum perficiendum quondam missurus fuisset.

§. 22.

Qua ratione Manes Paracleti munere functus sit.

Quanquam ergo Manes divinum honorem nunquam sibi arrogavit, Christi tamen de Paracleto verba de se intelligi voluit, eoque Apostolum illius se esse hominibus persuasit [1]), eumque in finem varia suscepit.

Et primum quidem quod ad religionem ipsam attinet, duo potissimum secutus est. Christus enim quum (Ioh. 16, 13.) de Paracleto vaticinatus est: ὁδηγήσει [τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας] ὑμᾶς εἰς πᾶσαν ἀλήθειαν· hoc quasi fundamento totius doctrinae suae aedificium superstruxit, at-

10) Vidit hoc totamque litem egregie diremit *Bellesobrius T. I. pag.* 264.

1) Vide *Augustinum* in libr. *cont. epist. Manich.*

que ad illa verba Salvatoris magis illustranda Pauli dictum (1 Cor. 13, 9.) adhibuit, qui „Ἐκ μέρους,“ ait, „γινώσκομεν καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν· ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται.“ Paracleti igitur sive sui ipsius munus id esse putavit Manes, ut primum „quod ex parte esset, evacuaret,“ deinde „ut perfectum afferret; i. e. ut cum religionem christianam ab omnibus mendis, temporum iniuria ei adiunctis eamque deformantibus, liberaret et purgaret, tum, docendo ea, quae Iesus Christus ob hominum sui temporis imbecillitatem docere non potuerit, eam perficeret. Et illud quidem ea ratione efficere studuit, ut libros sacros, quibus ecclesia gaudebat, iudicio suo submitteret, ut vera a falsis discerneret, quae per dolosos nonnullos homines iis inserta essent [2]). Imo singulare hoc sibi munus sumsit, ut hominibus ostenderet, quid ex novo

2) Audiamus *Faustum*, qui demonstrare conatur, sicut constet, christianos, postquam Christus suam doctrinam semel constituerit, non totum vetus testamentum accipere, sed singula tantum eius praecepta sequi; ita Manetem ex novo testamento quaedam, quae ipsi placuerint, retinuisse, alia reiecisse. „Quid peregrinum hoc,“ inquit, „aut quid mirum est, si et ego de novo testamento purissima quaeque legens et meae saluti convenientia, praetermitto ea, quae a vestris maioribus fallaciter inserta sunt et maiestatem Dei et gratiam decolorant.“ *Aug. c. Faust.* XXXII, 1.

testamento accipiendum, quid reiiciendum esset; et ad hoc se a Christo missum esse, impudenter prae se tulit [3]). In diiudicandis vero singulis locis suam doctrinam et praecipue ea dogmata, quae ex patria religione retinuerat, tanquam normam secutus est, removens omnia quae illis contradicere visa sunt, retinens vero ea, quae mysticas ipsius opiniones, vel sensu verborum aliquantulum torto, stabilire possent, deinde ea, quae Christi honorem celebrarent, ante omnia vero ea, quae, ad Paracletum eiusque auctoritatem pertinentia, ipsum honore augerent. Manetis discipuli hunc magistri pravum et nefarium morem excusaturi, falsa multa secundum eam, quae tunc temporis fuerit, hominum ruditatem et scriptorum ignorantiam dicta, alia vero ab inimicis maligne ficta et dolose veris admixta, nonnulla denique auctorum ipsorum prava mente et impudentia posteris tradita esse, asseverarunt [4]). Unde pa-

---

3) *Faustus ibid. cap. 6. pag. 321*: „Nobis Paraclitus ex novo testamento promissus; perinde docet, quid accipere ex eo debeamus, et quid repudiare; de quo ultro Iesus, cum eum promitteret, dicit in evangelio: „„Ipse vos inducet in omnem veritatem.““

4) *Faustus ibid. c. 7.* „Quid ab re est, si nos de novo testamento sola accipientes ea, quae in honorem ac laudem Filii maiestatis, vel ab ipso dicta comperimus, vel ab eius apostolis; sed iam per-

tet, Manichaeorum canonem codicis sacri abhorruisse ab eo, quem nos habemus [5]). Quamquam enim, exceptis *Actis Apostolorum*, nullum librum totum reiectum ab iis scimus, internam tamen singulorum scriptorum indolem mutilam fuisse, notum est. Vetus autem testamentum Manes omnino respuit, quum eius auctores a malo daemone actos scripsisse censeret [6]).

---

fectis ac fidelibus dissimulavimus caetera, quae aut simpliciter tunc et ignoranter a rudibus dicta, aut oblique et maligne ab inimicis objecta aut impudenter a scriptoribus affirmata sunt et posteris tradita."

5) Manichaeos evangelia nostra additamentis falsis ornata possedisse, quod nonnullis Viris eruditis probabile videtur, idoneis rationibus firmari nullo modo potest: multa ex iis omissa esse Faustus quidem ipse dicit *ap. Aug. l. c.* „Dico autem, hoc ipsum fictum esse, natum ex foemina turpiter, circumcisum Iudaice, sacrificasse gentiliter, baptizatum humiliter, circumductum a Diabolo per deserta et ab eo tentatum quam miserrime. His igitur exceptis, et si quid ei a scriptoribus ex testamento vetere falsa subtestificatione iniectum est, credimus caetera." Dubito, an clarius dici possit, Manichaeos evangeliis nihil ex propriis addidisse? Haec et alia, a scriptoribus alibi indicata, si sequimur, totum Manetis canonem fortasse restituere poterimus.

6) Hanc causam *Manes* in *Act. Archel. c. 13.* ita exponit: „Sed et devoratorem sanguinis et carnis Deum ostendunt [libri veteris testamenti]; quae

Iam ad alteram muneris, quo Manes Paracletus functus est, accedimus partem, consummationem nempe religionis christianae. Manetem e Zoroastris, quae in ipsius patria floruit, religione nonnulla desumsisse, brevis ostendit dogmatum collatio, quae haec fere sunt: „Duo sunt principia, bonum et malum; in homine bonum cum malo pugnat, illud a bono hoc a malo principio ortum, omneque peccatum in malo principio causam habet, purgatio vero boni malo inquinati duodecim cadorum ope efficitur 7), postremo mundus igne absumetur.“ Cosmologiam ergo totam suam Manes ex illo fonte repetiit: neque tamen omnino cum Zoroastre consen-

omnia ad eum pertinent Satanam et ad prophetas eius, quae transformare voluit in patrem Christi et scribere pauca vera, ut per haec etiam caetera, quae falsa sunt, crederentur. Unde bonum nobis est, ex omnibus, quae usque ad Ioannem scripta sunt, nihil omnino suscipere.“ Cum his cohaerent ea, quae §. 6. vers. fin. disputavimus, quae ergo hic conferri possunt.

7) Secundum Zoroastrem mundus duodecim millia annorum durabit, quo tempore elapso bonum a malo, cui proelio quodam inter utrumque facto admixtum est, separabitur. Hoc cum iis, quae Manes de duodecim cadorum machina i. e. Zodiaco fabulatur, convenit; huc accedit, quod ab illo cuivis Zodiaci signo mille anni tribuuntur, quibus eam, quae ipsi destinata est, purgationem absolvit. — cf. *Rhode, die heiligen Sagen des Zendvolkes.*

sit, sed in haud paucis longe ab eo recessit. Iste enim docet: „Unum quondam fuisse numen, tempus infinitum (*Zeruane Akerene*), omnium quae sint, causam supremam [8]), e quo numine deinde duae aliae naturae, quasi dii, emanaverint, *Ormuzd* et *Ahriman*; mundum vero, excepto tamen quod in ipso conspiciatur malo, boni Dei opus esse, qui vel materiam creaverit quondam desituram; corpus quoque humanum per se non malum esse, et e morte resurrecturum; tandem mundo finito dualitatem sublatum iri.“ Haec a Manetis placitis admodum abhorrere, ex antecedentibus cognoveris; verisimile ergo est, eum etiam ex alio fonte hausisse. Quaestiones, quas *Reichlinus* instituit [9]), suadent nobis, illum fontem Magorum veterum doctrinam fuisse, quae ante Zoroastris tempora in Persia viguit: e quorum placitis quae apud antiquos scriptores adhuc conservata sunt, *Bruckerus*, vir de philosophiae historia optime meritus, collegit et composuit. Quoniam multum ad rem nostram faciunt, hic repetere nobis visum est. Docuerunt nempe: „Duo esse rerum omnium princi-

---

8) Vide *Zendavest. Tom. II. pag.* 376. *Rhode l. c. pag.* 183.

9) In libelli, quem initio dissertationis nostrae nominavimus, *parte altera p.* 38 — 60 auctor, omni laude ideo dignus, ostendit, Manetem veterum Magorum disciplinam et cognitam habuisse et secutum esse.

pia; lucem boni, tenebras mali fontem, utrumque effectum suum in mundo sublunari produxisse, indeque in eo esse mixta bona malis. Inter haec duo principia perpetua bella esse, donec mundus destruatur, ubi victo daemone bonus Deus mundum perfectissimum cum bonis omnibus, quae in eo sint, sibi habiturus sit, malo daemone mundum malum cum malo sibi servante [10]." Prorsus eadem haec sunt cum iis, quae Manes tradidit, et, quod gravissimum est, concinunt cum iis, quibus a Zoroastris placitis recessit. Omnia autem ista in religionem christianam intulit, utramque doctrinam in nonnullis consona videns et reliqua, quae in recentiori religione ab antiquiori diversa sive ei contraria esse animadvertit, serius nata hominumque malitia deformata et per ipsum restituenda esse, ratus.

Hanc vero viam, quam secundum historicam veritatis speciem modo designavimus, Manetem re vera ingressum fuisse, discipulorum eius testimonia probant, id dignitatis ipsius summum momentum statuentes, quod in apostolorum libris non inveniantur, quae Manes habeat, „ut qui et causam et modum creationis mundi, et qualis nunc sit rerum ordo iustaque ratio, qualisque quondam earum foret finis, solus exposuerit" [11]).

---

10) *Bruckeri histor. philos. Tom. I. pag. 174.*

11) *Felix in disput. c. Aug. I, 6. pag. 337.* brevi.

At non praeceptoris solum sed etiam aliud, Christum imitatus, adscivit munus, et licet non sublimiorem et divinam naturam, omnem tamen et dignitatem et auctoritatem eius sibi vindicavit, ut hoc sensu alter esset Christus; quod veteres viri christiani quum non bene perspicerent, Manetem accusarunt, quod se Christum sive Spiritum sanctum fecisset. Sic Manes *duodecim* sibi elegit *discipulos* [12]), quos erudivit, et, ut videtur,

---

ter haec ita exponit: „In apostolis unum quaero, qui me doceat de initio, de medio et de fine.“ Paulo inferius autem, eandem materiam uberius tractat; *cap.* 9. *p.* 338. „Paulus,“ inquit, „in altera epistola [ad Corinthios I. cap. 13, 9.] dixit: ex parte scimus etc. Nos audientes hoc Paulum dicere, venit *Manichaeus* cum praedicatione sua et suscepimus eum, secundum quos Christus dixit: „„Mitto vobis Spiritum sanctum““ — — — „Et quia venit *Manichaeus* et per suam praedicationem docuit nos initium, medium et finem; docuit nos de fabrica mundi, quare facta est, et qui fecerunt; docuit nos quare dies, et quare nox, docuit nos de cursu solis et lunae: quia hoc in Paulo non audivimus, nec in caeterorum apostolorum scripturis; hoc credimus, quia ipse est Paracletus.“ Additque Felix, si in ullo alio libro codicis sacri, eadem indicarentur, se extemplo, quae hucusque crediderit, renuntiaturum esse.

12) *Augustin. de haeres. c.* 46. *pag.* 13. „Duodecim discipulos habuit ad instar apostolici numeri.“

itinerum comites habuit, atque nonnunquam ad alios instituendos dimisit, imo certas iis terrae regiones assignavit, in quas, ipso defuncto, migrarent [13]. Praeterea totam suam familiam in duas classes distribuit, *Electorum* et *Auditorum*. Electi, qui et *Perfecti* (*τέλειοι*) audiebant, severiorem habebant, quam Auditores, vivendi regulam, sanctiusque illis vivere putabantur [14]; magnoque

---

13) *Ephraemus Syr.*, etsi eodem cum Eusebio aliisque errore detentus, egregium tamen nobis exhibet testimonium de Messiae auctoritate et potestate, quam sibi Manes temere arrogavit, in *hymni* 22. *adv. haeretic. str.* 14. *Opp. Tom. II. p.* 486:

ܡܫܝܚܐ ܕܓܠܐ ܐܬܟܢܝ

ܠܢܒܝܘܗܝ ܢܦܚ ܪܘܚܐ ܕܛܥܝܘܬܐ

ܘܩܨܐ ܦܓܪܗ ܠܬܠܡܝܕܘܗܝ

ܘܦܠܓܗ ܐܪܥܐ ܠܟܪܘܙܘܗܝ

ܩܡ ܡܪܢ ܠܘܩܒܠ ܡܪܢ

i. e. „Messiam (*χριστὸν*) qui falso se vocavit, prophetis suis spiritum erroris inflavit fregitque discipulis suis corpus suum et terram praeconibus suis divisit; Dominus noster contra Dominum nostrum surrexit.“ Sensus huius ultimi versus is esse videtur: Breviter ut rem absolvam, Manes ita se gessit, quasi ipse esset Christus, omnia quae ille fecit imitatus, et hoc modo inimice contra eum egit. — Discipulos Manetem misisse ex *Act. Archel.* c. 53. scimus.

14) *Augustin. de haeresib.* 46. *pag.* 11. „*Electi*

ideo honore et auctoritate fruebantur. Auditoribus contra plura, velut labores perficere, agrum colere, messem peragere aliaque negotia vitae domesticae, Electis vetita, facere licebat. Ex his Electis duodecim creabantur, qui *Magistrorum* nomen gerebant, apostolorum coetus imaginem reddentes; iisque unus *princeps*, quasi Christus sive Paracletus, praeerat; deinde uti Christus septuaginta legaverat discipulos, ita Manichaei totidem fere habebant *episcopos*, qui a Magistris instituebantur; episcopi denique *presbyteros* et *diaconos* pariter eligebant[15]. Ordo igitur ecclesiasticus Manichaeis idem erat qui in ecclesia catholica, ita ut illorum coetus ab hac externis rebus parum differret.

Missis iam his, quae ad externam sectae Manichaeorum formam spectant, restat, ut ad aliud quid nos vertamus, quo Manetem insignitum cernimus, et quod vere divinam auctoritatem sapere videtur. Dubium tamen est, utrum ab ipso Manete haec opinio ad discipulos manaverit, an hi ei demum mortuo eam auctoritatem tribuerint.

Manichaeorum sanctius vivunt et excellentius *Auditoribus* suis."

15) *Idem ibid. pag.* 13. Videas etiam, quae de Manichaeorum ecclesia *Moshemius* in libro saepius dicto *pag.* 806. *sqq.* sagacissime disseruit.

Vox ὁ παράκλητος significat *patronum*, *advocatum*, *accersitum et rogatum, ut faveat et adsit alicui in iudicio*, sive *omnem, qui alicuius causam agit eumque tuetur* [16]. Hoc sensu forensi vox, alioquin *Iohannis evangelio* tantum usitata, semel in eiusdem *prima epistola* (2, 1.), occurrit: ἐάν τις ἁμάρτῃ, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα, Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον. Eum locum Manichaei ad sectae suae auctorem retulerunt, atque eum esse solum, qui pro peccatis nostris in iudicio supremo intercessurus sit, eum igitur et in hac vita nos de peccatis nostris consolari, putarunt [17]. Quamquam illud Iohannis verbum non expresse allegatur, haud inepte tamen Secundini sermonem illuc referre me posse arbitror, praesertim quum et Manetis discipuli et ipse aucto-

---

16) Vide *Schleusneri* lex. in Nov. Test. s. h. v.

17) Recte haec ex epistolae Secundini ad Augustinum loco quodam colligere mihi videor. Secundinus enim (l. c. cap. 3. pag. 370.) Augustinum obsecrat, ut Manetem eiusque scholam vexare desinat. „Quis enim," inquit, „tibi patronus erit ante iustum tribunal iudicis, quum et de sermone et de opere coeperis te teste convinci? Persa, quem incusasti, non aderit. *Hoc excepto, quis te flentem consolabitur? Quis Punicum salvabit?*" cf. *Augustin. Confess. V*, 5. Tom. I. pag. 80. „Non parvi existimari se voluit Manes, sed Spiritum sanctum, *consolatorem* et ditatorem fidelium" et rel.

ritatem suam, ut Paracleti, scripturae sacrae locis comprobare soliti, e Iohannis libris haud raro testimonia afferant v. c. Ioh. 1, 18. 8, 44. 10, 18. 14, 17. 30. 16, 15. et 1 Ioh. 5, 19., unde eos ad istam primam Iohannis epistolam etiam alias provocasse videmus, quod nostram sententiam probabiliorem reddit. Si vero Manetis discipuli praeceptori suo summam illam facultatem pro homine coram Deo intercedendi tribuerunt; quid mirum, quod ab ipso, si forte in eiusmodi errorem inciderunt, vel vim peccata remittendi repetierunt. Certe hoc a Paracleto omni iure postulari debuit, ut sicut Christus peccata saepius condonavit, Manes idem faceret, et perinde atque ille suis vim dederat vel ligandi vel solvendi, Manes quoque suis eandem pararet potestatem.

Electos Manichaeorum tristissimo ac molestissimo vitae generi obstrictos fuisse, et supra indicavimus, et ex *Moshemii* commentariis certius edisci potest. Nil enim iis licuit, quod vitam recreare et iucundam reddere posset, quum omnis vel innocua voluptas ad carnem i. e. ad materiam pertinere, animamque inquinare, morumque castitati officere diceretur. His miseriis laborantes honor, quo maximo fruebantur, quodammodo levabat; *Auditores* enim flexis genibus eos venerari et ab iis petere solebant, ut impositis ipsorum capitibus manibus dona iis imperti-

rent coelestia [18]). Inde vero facillime fieri poterat, ut, qui divino fere honore afficiebantur, quorumque auxilium et benedictio expetebatur, ii peccatorum quoque remissionem quaerentibus annuntiarent, quippe qui discipuli Paracleti, et ipsi omni eius potestate ornati essent. —

In capite antecedente, secundum Manichaeorum doctrinam peccatorum veniam a Deo dari, eamque ad aeternam salutem consequendam maxime necessariam ideoque expetendam fuisse, demonstravimus; deinde in iis, quae modo disputata sunt, cuinam Manichaeorum potestas peccatorum veniam Dei instar dandi, fuerit, indicavimus; denique nunc investigandum erit, an fortassis in Manichaeorum moribus aliquid inveniatur, quod declaret, qui illa per se vera ac salutaris doctrina de peccatorum remissione a Deo impetranda, hominum pravitate adeo corrumpi potuerit, ut inde *indulgentiarum*, quas vocant, largiendarum mos prodiret, sive usus is, ex quo homini peccatis obruto pro donis quibusdam oblatis per sacerdotem peccata condonantur. Ad

---

18) Hoc honore non *magistros* vel *Episcopos* solos, sed pari modo omnes *Electos* ornatos fuisse *Augustinus* refert in *Epist.* 237. *ad Dacter. Opp. II. pag.* 643. „Ipsi Auditores ante Electos genua figunt, ut eis manus supplicibus imponant; non solis presbyteris vel episcopis vel diaconis eorum, sed *a quibuslibet Electis.*“

hanc quaestionem, Manichaeorum de *Iesu patibili* opinione recte cognita, respondere poterimus.

CAPUT IV.

DE IESU PATIBILI.

§. 23.

Quid Manichaeis Iesus patibilis fuerit.

Hic locus doctrinae Manichaeorum difficultate abundat, quum ea, quae illi hac in re statuerint, obiter tantummodo memorata sint, ut coniecturas magis capere, quam certam sententiam enunciare possimus. Quae vero ex veterum testimoniis variis certa erui possunt, ea breviter et pro virili parte accurate absolvemus; sed ut ad prisca tempora redeamus necesse est.

Deus daemonum malorum impetum (vid. §. 8.) sustinere nequivisset, nisi immodicam eorum lucis cupidinem ullo modo compescere voluisset. *Primum* igitur *hominem* iis opposuit, naturam e divina substantia factam, quae hostes domaret. Inter utramque partem ad pugnam ventum est. Ex una parte regnum tenebrarum cum quinque suis elementis et principibus, qui iis praefuerunt, stetit; alteram autem certaminis

partem Primus homo susceperat, qui regnum lucis repraesentans, quinque eius elementis, tanquam armis, instructus erat. Iam proelium coeptum est; principes mali Primum hominem, qui eorum impetum sustinere non potuit, obruentes et propemodum opprimentes, partem armaturae eius praedantur; et verisimile est, unum quodque elementum regni tenebrarum id regni boni elementum, quod ipsius naturae contrariae responderet, aggressum fuisse, itaque vel de eo rapinas fecisse (vid. §. 8.). Id vero, quod principes tenebrarum devoraverunt, a Tyrbone *animā* nominatur [1]); neque id quisquam miretur, quum elementa, quae Manichaei statuerunt, animata necessario cogitarentur, utpote utriusque principii aeternae emanationes: itaque Moshemius hoc recte ita explicat, daemones omnis generis animas devoravisse.

In utroque regno elementa certum habuerunt ordinem et suum quodque tenuit firmum locum; neque inique colligere posse mihi videor, sicut ordinem ita vel substantias elementorum gradu diversas fuisse; cuius rei id habeo signum, quod sua quodque elementum habuit animalium genera, ita ut superiora inferioribus nobiliora

---

1) *Tyrbo* in *Act. Archel.* c. 7. „Principes tenebrarum," inquit, „repugnantes Primo homini, ederunt partem armaturae eius, *quod est anima*."

essent. Iam vero regni lucidi summum ac dignissimum elementum lux fuit, inque ea huius terrae dominus Deus bonus degit, cuius intima natura ipsa lux fuit, ergo etiam substantia istius elementi omnium nobilissima et prae caeteris insignis putanda est; vitam enim ratione praeditam habuit. Deus enim lux est, atque sine ratione cogitari nequit, animae autem humanae ex eius substantia sumtae rationis sunt compotes, ergo etiam omnes reliquae naturae, quae e divina substantia emanarunt rationis compotes necessario habendae videntur. Iam si in illo certamine daemones partem elementorum bonorum devorarunt, lucis quoque partem absorpserunt. Ea vero lux a Principe tenebrarum, Spiritu Vivente Primo Homini auxilium ferente, in homine Adamo inclusa est (§. 9.) Neque tamen omnem lucis copiam daemones consumserant, sed aliquot eius portiunculae tenebrarum materiae mixtae fuerant et in ea resederant, et ex iis Deus Spiritum Viventem universum mundum creare iussit; quod hic ita fecit, ut ex iis lucis particulis, quas omnium maxime materia penetraverat [2]), terram nostram sublunarem fingeret.

---

2) Lucem in terra latere Manichaei ex phaenomeno quodam, in olivae natura conspicuo, intelligi existimarunt. *Augustinus* in *libr. de morib. Manich. c.* 15 no. 45. *Opp. Tom. I. p.* 43. illud ita describit: „Dicitis olivae folia, dum incenduntur, ignem emittere, in quo praesentia lucis apparet.“

Hac igitur ratione i. e. suae ipsius substantiae aliqua parte gentis tenebrarum substantiae mixta, Deus daemonum ferocitatem compescuerat eorumque cupiditatem satiaverat [3]), regnique sui finibus pacem conciliaverat. At hoc uno malo remoto alterum ortum est, quod Deus prohibere non potuit, pars enim divinae substantiae materiae vinculis illigata erat. Quem miserum rerum statum ut finiret aliquando, mundum creari curavit, cuius finem eum esse voluit, ut certis quibusdam institutis lucis partes amissae recuperarentur, quae iu duobus carceribus captae tenentur, in homine et terra; et ut in **homine** *anima* i. e. lucis particula propria eius vita est, ita in terra *Iesus patibilis* — sic enim Manichaei lucem terrae insitam appellarunt — vitam efficit. Itaque *Iesus patibilis substantia est Dei, materiae quondam immixta et nunc in terra latens ac laborans.*

Iesum autem, sive in Syrorum lingua ܝܫܘܥ, cur hanc substantiam nominaverint, duplex causa afferri potest. *Bellesobrius* [4]) ostendit, *Primum Hominem* a Tyrbone *Iesu* nomine semel

---

3) *Augustinus de agone christ.* c. 4. *Opp. Tom. VI. pag.* 180. hoc Manichaeis quasi grave probrum obiicit, „quod miseri, Deum omnipotentem non sibi aliter potuisse succurrere, nisi partem suam contra gentem inimicam mitteret,“ credant.

4) l. *Tom. II. pag.* 555.

significari [5]), et hinc ita concludit, etiam partes, quas ille in materia reliquerit, idem gessisse nomen. Aut, quod mihi quidem praeferendum videtur, nomen istud e propria vocabuli ܚܝ̈ܐ (*salus*) significatione derivandum est. *Iesus patibilis* enim a Manichaeis ipsis *salus* appellatur [6]), partim quod ii quoque, sicut omnes populi orientales veteres, animum alimentis ex herbis factis, quibus Iesus patibilis inhaerere dicebatur, purificari et corpus ali putarunt; partim quod Iesu patibilis liberationem hominibus salutem parare existimarunt. *Patibilis* vero nuncupatur, quod

---

5) *Tyrbo* apud *Eusebium* l. c. ita narrat: „αἱ προβολαὶ πᾶσαι, ὁ Ἰησοῦς ὁ ἐν τῷ μικρῷ πλοίῳ καὶ ἡ Μητὴρ τῆς ζωῆς“ etc. Hunc *Iesum* eundem esse cum *Primo Homine* Bellesobrius inde elucere putat, quod 1) hic *Iesus* προβολή nominetur, *Iesus Christus* autem secunda numinis maiestas sit. 2) quod ille primus homo προβολή matris vitae dicatur. Tyrbo enim refert, „τὴν μητέρα τῆς ζωῆς προβεβληκέναι τὸν πρῶτον ἄνθρωπον.“ At cuivis per se statim clarum erit, infirmissima haec argumenta esse; nam Iesus Christus, secunda numinis maiestas, revera προβολή τοῦ θεοῦ putandus est, itaque et eum Tyrbo (*Bellesobr.* I. pag. 553 sq.) προβολήν appellare potuit; hoc autem argumento sublato alterum etiam tollitur.

6) Vide ea, quae *Faustus* dicit apud *August.* c. *Faust.* XX, 2.

multifariis malis cruciatur, quae ex coniunctione eius cum materia nascuntur.

Hoc nomen etiam id effecit, ut *Augustinus Iesum patibilem* cum *Iesu Christo* permutans, omnia quae Manichaei de illo narrant, in hunc transferat, eosque eam ob causam acerrime vituperet [7], et *Iesum Christum Primi Hominis filium esse* dicat [8]. Sed non ea fuit unquam Manichaeis opinio, vel Christum, vel, quod Moshemius censet [9], *Iesum patibilem* illius naturae filium fuisse; nusquam enim hoc relatum legitur, neque in Manichaeorum scriptorum reliquiis neque apud alium quenquam antiquorum, neque apud *Augustinum* ipsum, excepto uno illo loco. *Augustini* autem de Iesu patibili sententia recta et certa fuisse omnino non videtur,

---

7) *Augustinus* Faustum (*l. c. II*, 4. *pag.* 134.) ita impugnat: „Deliramenta vestra nos cogunt, non solum in coelo atque in omnibus stellis, sed etiam in terra, atque in omnibus, quae nascuntur in ea, colligatum atque concretum Christum dicere non iam Salvatorem vestrum, sed a vobis salvandum." Iam si in his Augustinus *Iesum* pro *Christo* scripsisset recte dixisset. Praeceptoris sui vestigia *Evodius* quoque pressit, qui (*de fide cap.* 34, *pag.* 25.) „Dicitis," scribit, „magno errore, *Christum* quotidie nasci, quotidie pati, quotidie mori."

8) *Augustinus ibidem*: „Huius *Primi Hominis filium*, credi vultis Dominum *Iesum Christum*."

9) *Moshem.* l. c. pag. 796 sq.

ille enim error, quem indicavimus, non adeo levis est; et verisimillimum saltem esse, quisque concedere debet, eum, qui in aliqua re semel graviter erraverit, etiam caeteras eiusdem rei notitias non ita certas habuisse, ut non suspicionem quandam menti iniiciant. *Augustinus* nempe *Iesum patibilem* Christum appellat, personam igitur eum fuisse censet; quid ergo mirum, quod, quum illum e *Primo Homine* natum, ut ita dicam, sciret, hunc eius patrem nominaret? Sed iam satis de *Iesu patibilis* natura dictum videtur, et reliquum nunc est, ut denique, quomodo e materiae vinculis liberetur, explicemus.

§. 24.

De Iesu patibilis liberatione nonnullisque Manichaeorum moribus cum hac doctrina coniunctis.

Lucis in homine captae gratia Christus in terram missus est, et ad eam solvendam varia opera peregit (§. 11 — 13.) Eam vero lucis portionem, quam Manichaei *Iesum patibilem* nominarunt, Deus non pari modo ac istam per Christum, sed aliis quibusdam auxiliis et quasi instrumentis ad eum fontem, unde defluxerat, per certa nonnulla intervalla reduci curavit [1]), quae

1) Omnem lucem solvendi modum *Augustinus* (de natura boni c. 44.) breviter ita describit:

ita iuste describemus, ut eam viam sequamur, quam Augustinus, loco infra adscripto, indicavit.

Inter *Spiritus Sancti* opera etiam id numerandum est, ut Iesum patibilem in terra latentem viribus suis inde eliciat et in coelum reducat [2]). Aërem enim, sive aetherem (ut *Moshemius* satis luculenter exposuit) habitat; quum autem Manichaei animadverterent, illum aërem in terram variam et magnam vim habere, hanc vim illi naturae tribuerunt, quam aëri praeesse putarunt; *Spiritum sanctum* igitur vires suas in terram ita dirigere crediderunt, ut vim vitalem, in ipsa collocatam, s. Iesum patibilem contraheret, et ita solum ad fruges procreandas idoneum redderet. Nempe si vitalis ea vis calore aliisque rebus, plantarum incrementum augentibus, parata

---

„Iam vero, quod ipsam partem Dei dicunt, ubique permixtam in coelis, in terris, sub terris, in omnibus corporibus siccis et humidis, in omnibus carnibus, in omnibus seminibus arborum, herbarum, hominum, animalium — — ligatam, oppressam, pollutam, quam solvi, liberari purgarique dicunt, non solum per discursum solis et lunae et virtutes lucis, sed etiam per Electos suos etc.“

2) *Faustus*, quo nemo Manichaeorum fusius de Spiritu sancto egit, ita de eo apud *Augustin. c. Faust.* XX, 2. disserit: „Spiritus sancti, qui est maiestas tertia, aëris hunc omnem ambitum sedem fatemur ac diversorium, cuius *ex viribus et spiritali profusione terram quoque concipientem gignere patibilem Iesum.*“

est, in earum radices ascendit, et inde per totum corpus currit, omnibus igitur herbis vitam porrigit [3]). Et, ex ipso coloris nitore et odoris iucunditate et saporis suavitate Iesum patibilem manifestum esse, dicebant [4]).

Praeter eas lucis partes, quas terra, ex quo creata est, in se continet, etiam nonnullae aliae Spiritu sancto, ut videtur, adiuvante a Deo in terram funduntur, quod ex absurda Manichaeorum fabula intelligitur. Manes enim ipse narrat, Deum divinae substantiae ei, quae in corporibus daemonum coelo s. stellis affixorum, teneatur, opem ferre, et virtutum, quas in sole et luna posuerit, auxilio, eius retinacula rumpere et efficere, ut soluta in altum evolet [5]). Inepta qui-

---

3) Hoc Manichaei ita depingunt: „Pars divina [i. e. Iesus patibilis] per terram exhalans et ad coelum tendens incurrit in stirpes, quoniam radicibus terrae infiguntur, atque ita omnes herbas et arbusta omnia foecundat et vegetat.“ *Aug. mor. Man. c.* 15. *p.* 543.

4) *Idem ibid.*

5) De his *Manes in libro septimo Thesauri sui* refert; *Augustinus* totum eum locum servavit (*de nat. bon. c.* 44. *p.* 365), et quum memoratu dignissima sit, eam fabulam ipsius Manetis verbis reddimus: „Beatus ille pater, qui lucidas naves habet diversoria et habitacula, seu magnitudines, pro insita sibi clementia fert opem, qua exuitur et liberatur ab impiis retinaculis et angustiis sua vi-

dem haec sunt, sed per se saltem clara et satis cohaerentia; Manes vero in iis, quae sequuntur, eius *Iesu patibilis* liberandi rationem reddit, ita tamen, ut non perspicuum sit, quomodo hoc fieri sibi co-

---

talis substantia. Itaque invisibili suo nutu illas virtutes, quae in clarissima hac navi [i. e. sole] habentur, transfigurat easque parere [i. e. apparere] facit adversis potestatibus, quae in singulis coelorum tractibus ordinatae sunt. Quae quoniam ex utroque sexu masculorum et foeminarum consistunt, ideo praedictas virtutes partim specie puerorum in vestium parere iubet generi adverso foeminarum; partim virginum forma generi contrario masculorum: sciens eas omnes hostiles potestates propter ingenitam sibi letalem et spurcissimam concupiscentiam facillime capi atque iisdem speciebus pulcherrimis, quae apparent, mancipari, hocque modo dissolvi. — — — — Hoc autem nisu decoro illarum ardor et concupiscentia crescit, atque hoc modo vinculum pessimarum cogitationum eorum solvitur," [Egregie haec explicat iis verbis: „Constitutum nempe principibus est tenebrarum, caelestem materiam, quam devorarunt, nunquam dimittere; temperat enim illa sine dubio et lenit miseriam eorum. Sed decipiuntur a Deo imaginibus iuvenum et virginum, ut inscii et invitas pessimas illas cogitationes et consilia negligant."] „vivaque anima, quae eorundem membris tenebatur, hac occasione laxata evadit et suo purissimo aëri miscetur, ubi penitus ablutae animae ascendunt ad lucidas naves, quae sibi ad avectationem atque ad suae patriae transfretationem sunt paratae."

gitaverit. Namque relinqui in daemonibus illis partem divinae substantiae, neque eam omnem libidinis aestu solvi dicit, qua autem ratione ex iis haec rapiatur, mihi quidem ex Manetis verbis non satis liquet; id tamen certum est, et ab eo saepius repetitur, per calores et frigora Iesum patibilem e corporibus daemonum laxatum in terram deduci; qui inde eo modo, quem supra delineavimus, *Spiritus sancti* efficacia praeparatus in herbas et arbores transit [6]. *Spiritus san-*

---

6) Ibidem Manes pergens ita narrat: „Id vero quod adhuc adversi generis maculas portat [scil. in daemonibus] per aestus atque calores particulatim descendit atque arboribus caeterisque plantationibus miscetur et coloribus diversis inficitur. Et quo pacto ex ista magna et clarissima navi figurae puerorum et virginum apparent contrariis potestatibus, quae in coelis degunt, quaeque igneam habent naturam, atque ex isto decoro adspectu vitae pars, quae in eorundem membris habetur, laxata deducitur per calores in terram: eodem modo etiam illa altissima virtus, quae in navi vitalium aquarum habitat, in similitudine puerorum ac virginum sanctarum per suos angelos apparet his potestatibus, quarum natura frigida est, quaeque in coelis ordinatae sunt. — — Hac vero mutatione et diversitate divinarum personarum ac pulcherrimarum, humidae frigidaeque stirpis principes masculi sive foeminae solvuntur, atque id, quod in ipsis vitale est, fugit; quod vero resederit, laxatum deducitur in terram per frigora et cunctis terrae generibus admi-

ctus igitur, eam quam vires s. δυνάμεις solis et lunae incepere, lucis purgationem s. redemtionem continuat, neque tamen ipse prorsus absolvit.

In omnibus igitur plantis atque herbis *Iesus patibilis* ligatus est, et quoniam homines plantis ciborum instar utuntur, etiam cibi eum continent [7]; ideoque quotidie nasci — quando terra herbas atque arbusta germinat — et quotidie pati ac mori dicitur, quando homines et animalia cibos sumunt et gramina carpunt.

Iam vero si *Iesu patibilis* liberatio *Spiritus sancti* vi usque adeo processit, ut in herbas ac fruges ascenderit, inde variis modis ad finem perducitur. Dum enim fruges carpuntur et frumenta vel moluntur vel teruntur vel manducantur, aliquot substantiae divinae, quae capta est, partes ad patriam et fontem redeunt; sed pars in corpora edentium proficiscitur, ibique partim remanet, et, quum concubitus fit, carni illigatur, partim digestione solvitur [8]. At non pari modo in omnibus hominibus *Iesus patibilis* solvitur, sed sanctissimi et castissimi quique facillime et optime lucem divinam solutam dimittere pos-

scetur." cf. *Faust.* XX, *6. Disp. c. Felic. c. 7. Ephraem. Syr. Serm. 7. p. 455. Serm. 50. p. 548.*

7) *Augustin. c. Faust.* XX, *3. p. 237. De nat. bon. c. 45. Evodius de fide. c. 34. p. 30.*

8) Causas huius opinionis fusissime *Augustinus de mor. man. c.* 15 no 57. enumerat.

sunt. *Electis* vero Manichaeorum nemo sanctiorem vitam degit; naturae ergo conveniens est, eos potissimum ad liberandum *Iesum patibilem* esse idoneos, quum in *Auditoribus* illa divina substantia vinculis tenacioribus ligata sit [9]). Quum hanc tum aliam ob causam infra dicendam, *Auditores Electis* fruges et poma aliosque eius generis cibos attulerunt, quos isti edentes divinam particulam iis inclusam precibus fundendis et psalmis canendis e carcere solverent [10]). In quo superstitio tanta erat, ut, quum nefas putarent, si quis alius praeter Electos escas ipsis appositas consumeret, hi saepius coacti essent, plus quam natura desiderat, devorare. Nonnunquam tamen evenit, ut omnia consumere nequirent, et tum pueros, qui ipsorum curae educandi traditi erant, ad edendum cogebant [11]). — Facile quo-

---

9) *Augustin.* de *haeres.* 46. *p.* 11. „Dei substantiam purgari putant in Electis eo genere vitae, quo vivunt Electi Manichaeorum velut sanctius et excellentius Auditoribus suis. — — — In caeteris autem hominibus, etiam in ipsis Auditoribus hanc partem bonae divinaeque substantiae, quae mixta et colligata in escis et potibus detinetur, arctius et inquinatius colligari putant.“ Cf. *c. Faust. XIII*, 18. *p.* 180. *de nat. boni c.* 45. *Enarrat. in* ψ 140. *no.* 12. *Tom IV. p.* 1171.

10) *Augustin. de morib. Man. c.* 15. *no.* 36.

11) *Idem ibid. no* 52.

que inde intelligitur, cur Manichaeis vetitum fuerit mendicantibus aliquid cibi porrigere; ne scilicet Dei particula frumento insita, in hominis vilis vel improbi corpore ligaretur. Augustinus hoc praeceptum Manichaeis maximo quidem vitio dedit. Neque tamen beneficentiam erga egenos omnino negligebant, pecuniam enim sive alia, quae ad vitam sustentandam sunt necessaria, iis suppeditabant; et illud solum iis interdictum erat, ne summum totius mundi finem impedirent [12]).

In prioribus (§. 23.) ostendimus, *Iesum patibilem* vim esse vitalem i. e. vitam efficientem; neminem ideo offendet, opinor, quod Manichaei omnes plantas et reliquas res creatas, sicut animalia, vivere sensusque habere putarunt [13]), imo hanc herbarum et lapidum vitam animalium vita vividiorem existimarunt; in illis enim divina substantia integra et eadem semper manet, in animalium vero corporibus carnis et cupiditatum ac concupiscentiae sordidis vinculis gravatur. Imo non viventes solum ac sentientes plantas habuisse videntur, verum etiam intellectu et cogi-

---

12) *Ibidem cll. no.* 36.

13) *Idem c. Faust. XV*, 4. *p.* 195. „Dicunt Manichaei et terram et lapides habere sensum, et intelligentiori vita vivere, carnes autem stolidiore et obtusiore."

tandi facultate praeditas [14]). Quae quum ita sint, necesse est, ut plantae sive herbae, quum carpuntur, dolorem sentiant et nonnullae arbores, ut ficus, eum dolorem indicant; hanc enim, si fructus eius vellis, lacteas lacrymas fundere videbis [15]). Pari modo si terra aratur, *Iesus patibilis* vexatur, omnibusque operibus, quae ad herbas vel arbores vel fructus cuiusvis generis pertinent, peragendis, divina substantia ab hominibus laeditur et *Iesus* ille vere est *patibilis* [16]).

---

14) Certe non est, quod Augustini testimonium addubitemus, qui (de mor. Man. c. 17. no 56.) „Illas [scil. animas, quae in plantis sunt], inquit, „perhibetis et audire voces nostras, et verba intelligere, et corpora motusque corporum intueri, cogitationesque denique ipsas perspicere.“ Hoc tamen ultimum Manichaeos plane ita docuisse, ut Augustinus refert, non facile credes; sed eum illos non recte intellexisse suspicaberis. At quae supra de vita vividiore monuimus, qua plantae animalia superare dicuntur, luculenter declarant, Augustinum veritatem non excessisse. cf. August. de haeres. 46. p. 12. —

15) Confession. III, 10. Opp. Tom. I.

16) *Augustin. de haeres.* 46, *p.* 12. „Herbas atque arbores sic putant vivere, ut vitam, quae illis inest, et sentire credant, et dolere, quum laeduntur, nec aliquid inde sine cruciatu eorum quemquam posse vellere aut carpere.“ cf. *Eiusd. enarrat. in ps.* 140. *Tom. IV. pag.* 1171.

Ex his necessario sequitur, scelus committere eum, qui fructum decerpit [17]), quia Deum offendit, parti ipsius dolorem parans. Manesque iam ipse certas et duras eiusmodi sceleribus poenas post mortem luendas adiunxerat [18]), eosque cibos, quos edere permissum aut vetitum erat, constituerat.

Haec singularis Manichaeorum opinio singulares quoque mores genuit: nam ut omnibus hominibus ita Manichaeis cibi opus erant; idcirco *Auditoribus* permissum erat, poma decerpere herbamque vellere, et alia ad cibos parandos necessaria negotia facere; neque tamen Electos eadem decebant, quum scelus, quod cum eiusmodi opere coniunctum erat, eorum sanctitatem turpavisset. [19]). Animalia vero ut necarent vel *Auditoribus* plane interdictum erat; neque forte eam ob causam, ne Dei substantia dolore afficeretur,

---

17) *Augustin. de mor. Man.* c. 17. no 55. „Si folium pomumve decerpas, apud vos, si quis non impudentia sed sciens fecerit, signaculi corruptor damnabitur.“ Manichaei nempe omnem morum disciplinam tribus signaculis, quae dixerunt, distinxere, signaculo oris, manuum et sinus; quodvis autem signaculum certa dedit praecepta, quae et fugienda et eligenda indicarunt. Qui fructum decerpsit, manuum signaculum rupit.

18) Plura vide in *Act. Archel.* c. 9.

19) *Augustin. de morib. Man.* c. 17. no. 57.

sed propterea quod eum, qui animal mactaret, a daemonibus punitum iri, credebant [20]).

Hic tandem *indulgentiarum* fontem reperimus; Auditoribus enim quasi officium mandatum erat, ut Electos escis appositis alerent [21]); quod facere non poterant, quin herbas decerpentes peccato se inquinarent. Nihilominus tamen Auditores donis illis offerendis meritum sibi quodammodo parabant, quum efficerent, ut divinae substantiae particula e vinculis liberaretur, quae si non liberabatur, et ipsa, et cum ea ii, qui occasionem istam purgandi praetermiserant, diuturnis poenis obnoxii erant [22]). Unum ergo

---

20) *Idem l. c.* n. 59. fusius haec exponit. „Caelestes principes," inquit, „qui de gente tenebrarum capti atque vincti a conditore mundi in illis ordinati sunt locis, sua quisque possidet in terra animalia, de suo scilicet genere et stirpe venientia: qui peremtores eorum reos tenent, nec de hoc mundo exire permittunt, poenisque illos, quibus possunt, et cruciatibus adterunt."

21) *Tyrbo* in *Act. Arch.* c. 9. „Qui non praestiterit Electis alimenta, poenis subditur gehennae et transformatur in corpora catechumenorum, usque quo faciat multas misericordias: — — propterea si quid optimum est in escis, offerunt illud Electis."

22) *Augustin. c. Faust.* XIII, 18 p. 188. „Lucem vos manducando recreatis et purgatis, ut merces vobis retribuatur, ne cum illa, quae liberari non potuit, in aeterno globo damnemini."

malum in hac re mansit id, quod actio hominis laude, imo mercede, dignissima, simul turpis esset eumque pollueret: at *Electi* e disciplina sua huic morbo necessariam et egregiam medelam praepararunt; si enim *Auditores*, ut iis praeceptum erat, ad *Electos* accedebant, iisque cibos apportabant, hi precibus fusis [23]) illis peccatorum *indulgentiam* dabant [24]). Itaque indulgentiarum initium id fuit, quod Electi Auditoribus a Deo veniam peterent peccati certi, quod tum committebatur, quando quis fruges arborum vel agrorum decerpendo et colligendo Iesum patibilem laeserat Deumque offenderat. Hoc certe ex Tyrbonis relatione infra allata perspicue disci potest; atque testimonium hoc mihi haud spernendum, et declarare videtur, *Acta Ar-*

23) Tyrbo l. c. ritus, quos *Electi* panem manducantes observabant, eorumque orationem ita depingit: „Quum voluerint manducare panem, orant primum ista dicentes ad panem: neque ego te messui, neque molui, neque tribulavi, neque in clibanum te misi; alius te fecit et detulit te mihi, ego innocenter te manduco. Et cum intra semet ipsum haec dixerit, respondet ad eum, qui ei detulit: oravi pro te. Et ita discedit ille.“

24) *Augustinus* iam hanc vocem de eadem re adhibet c. *Faust*. *VI*, 4. *p*. 146. „Herbas quum decerpsit Auditor vester, reus factus est, et *indulgentia* vestra liberandus.“

chalai, etsi fortasse serioribus temporibus interpolata sint, tota ficta non esse, aut a viro confecta esse, qui haud diu post Manichaeae sectae ortum vixerit; est enim haec narratio grave illorum antiquitatis signum. Nam si *Augustinum* de hac re consulueris, et quae apud eum inveniuntur, cum Tyrbonis sermone comparaveris, non poteris, opinor, quin concedas, tempore progrediente in prima Manetis opinione de peccati illius venia impetranda aliquid, sive potius multum esse in pejus mutatum, et Electos omnem magistri sensum vertisse eiusque sententia ad decipiendos tenues Auditorum animos et propriam suam auctoritatem augendam abusos fuisse. In eo quidem Augustinus cum Tyrbone consentit, peccare eum, qui Iesum patibilem offendat, et purificatione ei opus esse, sed rationem, qua homo veniam acceperit, Augustini tempore prorsus aliam fuisse, videmus: non enim Electorum orationis et precum gratia Auditores divinam clementiam recuperarunt; sed ipsum donum, quod oblatum est sanctis, peccatum abstergere creditum est [25]).

25) Disertis verbis *Augustinus* haec duobus locis diversis dicit, primum in libro *de haeresib.* *c.* 46. *p.* 12. „Suis Auditoribus ideo haec [scil. mala, quae, Iesus patibilis perpeti coactus est] arbitrantur ignosci, *quia praebent inde alimenta Electis suis.*" Et magis etiam perspicue *cont. Faust.*

Electi igitur potestatem sibi arrogaverunt, ex suo arbitrio *Auditoribus* pro donis quibusdam oblatis, quos cibos plerumque fuisse scimus, peccata condonandi. Et primum quidem certum scelus, saepius iam notatum, remiserunt. At in eo non substiterunt, sed etiam maiora sibi sumentes, latius vim suam extendere ausi sunt. *Augustinus* rursus huius rei argumentum firmissimum praebet. Supra multi fuimus in eo, ut ostenderemus, Auditoribus plane vetitum fuisse, ne animalia interficerent, et causas huius inderdicti ibidem attulimus; nihilominus Manichaeorum nonnulli lanionum negotia in macello gessisse et boves aliaque animalia mactasse, et vel huius gravissimae legis violationis veniam impetravisse ab Electis, si lucrum suum cum iis partirentur, veri simillimum, imo certissimum est [26]. Pia igitur

---

XXX, 5. *pag.* 518. „Auditoribus," inquit, „quod sit ignoscendum *propter quod vobis necessaria ministrant*, ut dixi, conceditis, non dicentes, non esse peccatum, sed *peccantibus veniam largientes*."

26) *Augustinus de mor. Manich. c.* 17. *no.* 59. *Auditores* animalium caede prohibitos fuisse, postquam narravit, paulo post ea addit: „Reditur ad illud invalidum, ea, quae in stirpibus *Auditores* laedunt, expiari per fructus, quos ad ecclesiam vestram ferunt. Dictum enim est hoc modo, eos, qui in macello laniant animalia, carnesque venditant, si vestri Auditores sint, *suaque lucra*

consuetudo tempore in turpem abusum mutata erat, et in morem venerat, ut Electi Auditoribus suis dona largientibus quaevis peccata remitterent; et communis in hac re regula ea fuisse videtur, quam *Augustinus* (l. c.) a Manichaeis dari perhibet, „fieri nempe compensationem quandam, quum eorum, quae de agris auferantur, pars aliqua detur Electis sanctisque purganda.“

Unde creditu facillimum id quoque est, quod *Ephraemus* prodit, Manichaeos, i. e. Electos, non modo suis indulgentias obtulisse Auditoribus, sed etiam aliis, qui eorum sectae non adscripti fuerint. In prioribus enim intelleximus, ex Manetis sententia bonam animam, quae malam temperare non valeat, huius vitiis inquinatam diutius materiae illigatam fore; maximi autem Manichaeorum interfuit, ut tantum divinae substantiae, quantum fieri posset, e vinculis solverent; itaque vel in hominibus, qui Manetis disciplinam non secuti sunt, idem efficere eos studuisse, a veritate recedere mihi non videtur; remissione igitur ab ipsis emta animas eorum a sordibus purgari crediderunt. Praeterea denique etiam id tenendum est, Electos, cibis vescendo, Iesum patibilem in iis ligatum solvisse; in

---

comparatis frugibus vobis conferant, eadem illam quotidianam sibi licere contendere, et quidquid in ea peccati est, vestris epulis aboleri.

quo nihil curasse videntur, quis esset, a quo eos acciperent.

Firmissima ergo stant ea, quae *Ephraemus Syrus* de Manichaeorum *indulgentiis* refert, et quum caeteris eorum placitis bene conveniant, tum Augustini testis gravissimi expressis testimoniis stabilita sunt.

§. 25.

Indulgentiae Manichaeis usitatae cum iis comparantur, quas ecclesia catholica exercet.

Finitis his de indulgentiarum Manichaeorum natura quaestionibus, haud iniucundum nec inutile fore opinor, si, ad ecclesiam catholicam versi, eum, quem ibi similem, vel fortasse parem usum invenimus, accuratius considerantes, quae tandem haec similitudo fuerit, et an forte illud dogma ab haereticis ad orthodoxos transierit, indagamus. In quo ea instituti ratio optima nobis videtur, ut temporum successus sequentes, quoad eius fieri potest, originem et incrementum indulgentiarum in ecclesia catholica perscrutemur, et quae inde eruerimus cum iis, quae de Manichaeis didicimus, conferamus. Quisque autem facile intelliget, nos haudquaquam id agere, ut hisce paginis accuratam et perfectam indulgentiarum historiam conscribamus; sed instituto nostro satisfecisse nobis videbimur, si ea, quae in

libris infra nominandis [1]) passim legimus, componentes succinctam quidem, sed probam expositionem huius instituti dederimus.

Inde ab antiquissimis temporibus, vel statim ab initio in christiana ecclesia moris erat, homines vitam improbam degentes punire: sic *Paulus Corinthios* studiose hortatur [2]), ut scortatorem quendam e coetu suo removeant, sed idem paulo post eos orat, ut eundem hominem, quoniam eum flagitii poenituerit, apud se recipiant [3]). Tunc temporis penes omnes coetus cuiusdam christiani socios vis erat, poenas constituendi; omnes enim christiani primis temporibus *βασίλειον ἱεράτευμα* et *κλῆρον τοῦ θεοῦ* se esse credebant, quod igitur uni licebat, in omnium potestate erat. Quum vero res christianorum crevissent, ille mos nullo modo conservari pote-

1) Qui e fontibus rem cognoscere cupit, adeat *Morinum* (*de disciplina in administratione Sacramenti Poenitentiae. Amstelod.* 1697. *fol.*), qui copiosas epitomas antiquorum scriptorum suppeditat, auctoresque indicat, e quibus notitiam huius rei plenissimam haurire possis. — Praeterea nobis ad manus fuere *Schroeckh's Kirchengeschichte, Thl.* 28. p. 37 *ff.* 147 *ff.* — et *Planck's Geschichte der christl. kirchl. Gesellsch. Verf. Bd.* 3. p. 670 *ff.*

2) 1. Cor. 5, 2 — 13.

3) 2. Cor. 2, 5 — 8.

rat, sed ordo sacerdotalis et varii quidem magistratus ecclesiastici instituebantur, et cuivis eorum certa officia assignabantur 4). Inter quae vel id fuit, ut episcopi vel presbyteri pro suo arbitrio peccantibus certas quasdam poenas (*poenitentias*) injungerent; simul autem potestatem sibi sumserunt, poenas, quas destinaverant, tollendi et reum absolvendi 5).

Ordo enim iustus et ab ecclesia constitutus is erat, ut confessione a peccantibus coram sacer-

---

4) Testem evocamus *Hilarium Diaconum* (qui *Ambrosiaster* nominatur et saeculo 4. vergente vixit), qui in *comment. ad Ephes.* 4, 11. ita loquitur: „Primum omnes docebant et baptizabant, quibuscunque diebus vel temporibus, nec enim Philippus tempus quaesivit aut diem, quo Eunuchum baptizaret. — — At ubi omnia loca complexa est ecclesia, conuenticula constituta sunt, et rectores et caetera officia in ecclesiis sunt ordinata, ut nullus de clero auderet, qui non ordinatus esset, praesumere officium, quod sciret non sibi creditum vel concessum."

5) *Hieronymus* eodem fere tempore cum Hilario Diacono iam queritur, episcopos vi sua abusos esse, in *commentar. ad Matthaei c.* 16, 19. „Istum locum," inquit, „„Et dabo tibi claves regni coelorum,"" episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur." Unde sequitur, noxios solvere tunc episcopis permissum fuisse.

dote edita, ab hoc poena ecclesiastica illis destinaretur, qua solvenda puros fieri reos putarunt; ea autèm confessio initio quum palam fieret, *Leo I.*, abrogata publica confessione, secretam eam esse iussit [6]. Sed iam antea sacerdotes peccantibus poenas nonnunquam remittere consueverant, et *synodus Nicaena* episcopis permiserat, ut iis, qui ad poenitentiam complurium annorum spatium complectentem condemnati essent, si bonis operibus correctos se probassent, partem poenae condonarent.

Saeculo quarto nonnullis piis operibus, velut siquis in sanctum aliquem locum peregre abiret, vel ecclesiae ulli aliquid donaret, vim a poenis ecclesiasticis solventem adscribere coeperunt; et quantopere eiusmodi opera per Clericos commendata fuerint, ab *Salviano* accepimus, qui *saeculo quinto* conqueritur, plerosque homines scelera sua neque confessione, neque satisfactione, neque, quod facillimum sit, donis et misericordia expiare velle [7]. Deinde sequenti *saeculo sexto libri poenitentiales* [8]), quos dixerunt, multa in

6) *Schroeckh l. c. Tom.* 17. *pag.* 55.

7) *Idem. Tom.* 16. *pag.* 419.

8) Eiusmodi libros poenitentiales *Theodorus Cantuariensis* anno 680 (ed. J. Petitus. Paris. 1677.), *Beda Venerabilis*, *Egbertus Eborac. Johannes Jeiun.* aliique scripserunt.

re poenitentiali mutaverunt; nam non modo peccatis publicis, sed etiam privatis iis que vilissimis ac minimis duras annexuerunt poenas, quas Clerici mox in leviores verterunt, quibus susceptis reum gravioribus supersedere posse dixerunt.

Haec vero poenas permutandi consuetudo *saeculo decimo* tandem in consuetudinem peccatorum indulgentias vendendi et emendi abiit. Quum enim iam antea ecclesia caeteris poenis nonnunquam mulctam addidisset, nunc omnes poenas canonicas pecunia solvere licuit, neque raro accidit, ut reus exercitationes quasdam ab ecclesia constitutas susciperet, quibus peccatorum veniam impetraret. Certa quoque indulgentiarum pretia constituta sunt, quae in libris poenitentialibus illius temporis indicantur; quorum unus ita peccata aestimat 9): „Si quis forte non potuerit ieiunare et habuerit, unde possit redimere, si dives fuerit pro septem hebdomadis det solidos viginti; si non habuerit tantum, unde dare possit, det

9) *Regino* (Abbas Prumiensis) anno 906. libros confecit *de disciplinis eccles. et relig. christ. duos*, in quos recepit ea, quae liber poenitentialis Romanus de indulgentiis constituerat. Quae in textu ex iis afferimus, sumta sunt ex *Regin. de disc. II. c. 438. de redemtionis pretio.* (Vide *Harzhemii concill. German.* Tom. II. pag. 438.)

solidos decem. — — Sed attendat unusquisque, cui dare debeat, sive pro redemtione captivorum, sive supra sanctum altare, sive Dei servis, sive pauperibus in eleemosyna. — — c. 439. Pro uno mense quod in pane et in aqua debet poenitere aliquis, psalmos decantet MCC genu flexo, et si non genu flexo, MDCLXX. — c. 441. Qui vero psalmos non novit et ieiunare non potest, pro uno anno, quod ieiunare debet in pane et aqua, det in eleemosyna viginti sex solidos.“ Ex his simul cognoscimus, pecunias istas in varios usus collatas et magnam partem egenis datas fuisse, ut bonis misericordiae operibus, quae appellantur, homo a poena et peccato solvi videretur. Quamvis ecclesia postularet, ut eiusmodi opera cum aliqua animi contritione perficerentur, statim initio tamen praevidere debuit, hoc vix unquam fore, ut is, qui semel indulgentias nactus esset, illud praeceptum secuturus esset; neque ipsa potestatem habuit, animum eo modo movendi. Itaque non veremur ne iniustius de ecclesia catholica iudicemus, si eam accusamus, hoc solum eam illis indulgentiis spectasse, ut vulgi animus externa pietatis specie ornaretur et auctoritas ecclesiastica, quae crescente omnium ferocia minui videbatur, quoad fieri posset, conservaretur.

Primum episcopi soli hoc indulgentiarum concedendarum munere functi erant: nonnunquam vero, in difficilioribus casibus, homines pec-

catorum remissionem quaerentes ad Pontifices Romanos ablegaverant; quo factum est, ut ii post aliquod tempus indulgentiarum ius sibi arrogarent, idque multo latius extenderent, quam episcopi hoc facere unquam ausi erant [10]. Quae Pontificum Romanorum indulgentiae praecipue in usum venerunt, ex quo militum cruce signatorum agmina contra Saracenos proficisci coeperant; *saeculo* enim *undecimo*, cuique, qui exercitum illorum sequi vellet, *indulgentiae plenariae*, quas dicebant, sive omnium peccatorum dabantur; in quo tamen, si cui id commodius videbatur, permissum erat, suo loco alium militem mittere et alere [11].

Postquam ita per longum iam temporis spatium ecclesia indulgentias largita erat, *Schola-*

---

10) Plank l. c. Tom. 3. pag. 683.

11) *Morinus l. c. lib. X, c. 19. p. 768.* haec ita describit: „Peccatorum omnium remissio primum data est omnibus Hierosolymitanam expeditionem suscipientibus; postea iis, qui legitime impediti eo non proficiscebantur, sed militem ibi militaturum sumtibus suis alerent. Ut pecunia sic distributa peccatorum omnium demissionem pariebat, sic etiam crediderunt, idem parere posse in ecclesiarum reparationem vel aedificationem collata. Hoc tamen semper observare solebant, ut remissio integra Hierosolymitanum iter suscipientibus concederetur, para vero tantum, ut tertia vel quarta — — in aliorum operum propositorum gratiam.“

stici ut alias doctrinas, ita hanc iustis rationibus confirmare susceperunt. Et primus quidem *Alexander ab Hales*, qui *tertio decimo saeculo* medio celeberrimus theologiae doctor Parisiis floruit, contendit [12]), Pontificem Romanum habere facultatem poenas canonicas remittendi, quatenus peccans contritionem cordis ostendat et peccata sua confessus sit, et hanc indulgentiam ipsi Deo satisfacere, ita ut vera sit peccatorum remissio et abolitio; partim enim indulgentiam poenam quandam simul continere, partim meritum Iesu Christi, qui pro nobis passus sit, remissionis fontem esse, quem ecclesiae aperire liceat, quae quippe *thesaurum* habeat, confertum non modo Christi, sed etiam reliquorum sanctorum omnium meritis. — *Albertus Magnus*, qui cum Alexandro eodem fere tempore vixit, varias de indulgentiis sui temporis opiniones exponit, et peccatorum remissionem e *clavium vi*, quae

---

12) In *Summa P. IV. quaest. 23. membr. 3. 6. ap. Morin. l. c. cap. 21.* „Potest dici," inquit, „quando Dominus Papa dat plenam indulgentiam, ipse punit obligando ecclesiam aut aliquod membrum ecclesiae ad satisfaciendum. Vel potest dici, quod thesaurus ecclesiae, qui exponitur pro satisfactione, ecclesiae habetur principaliter cx meritis Christi. Unde potest dici, quod Deus punit mala, quae indulgentur, ut homo et deus patiendo pro nobis, et sic Chrtstus Deus et homo punit et punivit."

penes sacerdotes sit, et e *thesauro supererogationis perfectorum* repetit [13]. — *Thomas Aquinas* hanc doctrinam ad perfectionem adduxit, quo non optimum suo nomini monumentum posuit. Opinio eius haec fere est: Omnium temporum viri sancti virtute sua plus meritorum sibi pararunt, quam opus fuit, ut Deus pro eorum peccatis satisfactionem exciperet; ea igitur merita innumera omnium mortalium omnia peccata longe superant, omnesque poenas iis constitutas delent. Haec *opera*, quae *supererogatoria* nominantur, ecclesiae quasi aerarium sunt, e quo cuivis homini peccanti, quantum ei

---

13) Accuratius haec cognosces ex ipsius Alberti verbis *Lib. IV. sententt. dist. XX, art. 16.* „Magistri definiunt relaxationem sic: Relaxatio est satisfactionis maioris in minorem competens et discreta commutatio. Alii sic: Relaxatio est poenae temporalis debitae promissa diminutio. — — Si quis tamen hanc dare vellet, scilicet quod indulgentia sive relaxatio est promissio poenae iniunctae ex vi clavium procedens, puto quod melius definiret. Quia tunc ibi est remissio ut genus. Sed quia est remissio culpae, quam solus facit Deus, et remissio poenae, quam Deus et homo faciunt, ideo additur: poenae. Quia autem iterum poena est aeterna, quam remittit Deus, et temporalis poena satisfactionis iniunctae, quam remittit homo, ideo additur: iniunctae. Quia vero hanc remissionem tantum facere potest habens iurisdictionem et cla-

ad scelera sua expianda opus est, concedere iure suo potest [14]).

---

ves, ideo additur: ex vi clavium. Quia vero non potest remitti debite et discrete pro peccatis iniunctum uni, nisi fiat recompensatio per alterum, qui plus debito facit, ideo subiungit: ex thesauro supererogationis perfectorum procedens. In hoc enim thesauro habet ecclesia divitias meritorum et passionis Christi et gloriosae Virginis Mariae, et omnium apostolorum et martyrum et sanctorum Dei vivorum et mortuorum. Et pro utilitate et necessitate ecclesiae possunt impendi in suffragia eorum, qui serviunt ecclesiae in sua necessitate. Et ideo hanc definitionem meliorem aliis iudica."

14) *Thomas Aq. sup. quart. libr. Magistr. sententt. dist. XX.* ita sententiam suam explicat: „Causa remissionis poenae in indulgentiis non est, nisi abundantia meritorum ecclesiae, quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam; non autem causa remissionis effectiva est, vel devotio, aut labor, aut datum recipientis, aut causa, pro qua fit indulgentia. Unde non oportet ad aliquod horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita ecclesiae, quae semper superabundant, et ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem, quod explicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi eiusmodi thesaurum et unio eius, cui dispensatur, ad eum, qui merebatur, quod est per caritatem, et ratio dispensationis, secundum quam solvitur intentio illorum, qui opera meritoria fecerant. Fecerunt enim

Hoc placitum quamvis sanae rationi, et, paene dixerim Deo sancto ipsi malediceret, tamen, quum a viris proponeretur, quorum nomen et ingenium apud omnes maxima in auctoritate fuit, et quum ecclesiae immensas opes insignemque gloriam afferret, hominibus vero sceleratis gratum vitiorum fomentum esset, mox omnium animos ita cepit, ut *Clemens VI.*, Pontifex Romanus, in bulla, quae a verbo *Unigenitus* incipit ,hoc novum ecclesiae dogma haberi iuberet. Et inde ab eo tempore ecclesia indulgentias perpetuo et frequentissime largiebatur, et, quod antea nondum dictum erat, usque adeo superstitio processit, ut ab omnibus crederetur, bona opera per se sola, nulla consilii, quo fiant, ratione habita, sufficere et ad poenas ab ecclesia constitutas tollendas et ad peccatorum memoriam et culpam penes Deum abstergendas eorumque veniam impetrandam, donec tandem eo tempore, quo *Lutherus* ad ecclesiam corrigendam surrexit, res, turpitudinis summum fastigium ascendens, illi perniciem attulit.

---

ad honorem Dei et utilitatem ecclesiae in generali. Unde et quaecunque causa adsit, quae in utilitatem ecclesiae vergat et honorem Dei, sufficiens est ratio indulgentias elargiendi. Et ideo secundum alios dicendum, quod indulgentiae simpliciter tantum valent, quantum praedicantur."

Iam si has indulgentias cum iis conferimus, quas Manichaei sibi sumserunt, parum similitudinis inter utrasque fuisse, quis non intelligit? Primum enim e diversa origine prodierunt; namque in ecclesia catholica non nisi poenas quasdam sustulerunt, quas ecclesia peccatis pro suo arbitrio constituit; quum vero ipsi eas constituere liceret, potestatem quoque se habere putavit, si ipsi placeret, eas vel minuendi vel cum aliis levioribus commutandi, vel clementer omnino remittendi. Manichaeos contra peccantibus poenas solvendas imposuisse nullibi audimus: in altera quidem vita hominem propter scelera sua et propter intermissam animae purgationem a Deo punitum iri, eos docuisse constat; hae vero poenae divinae sufficere iis visae sunt, neque necessarium duxerunt, ut ecclesia praeterea alios in hoc mundo luendas constitueret, nedum arbitrati essent, eum, qui tales poenas susciperet, eo purificari, vel si suscipere eas nollet, pecunia pendenda ab iis liberari posse. Sed solo animi de peccatis suis dolore hominem veniam adipisci, primis temporibus existimarunt. *Fortunatus* autem ecclesiae catholicae doctoribus similis iam fuisse et pariter atque hi censuisse videtur, e bonis operibus homini meritum ac ius provenire a Deo mercedem postulandi [16]. Quae opinio quamvis

15) *Fortunatus* in *disp. c. Aug. II, p.* 74. „Anima," inquit, „potest per emendationem delictorum suorum

nuda neque aliorum testimoniis firmata, et soli fortasse Fortunato imputanda sit, tamen non prorsus negligenda est: nam Iesu patibilis liberationem a Manichaeis mercede dignissimam habitam esse, intelleximus [16]); neque a veritatis specie recedit, hanc Fortunati sententiam cum illa cohaerere, et ex ea fortasse prodiisse. Manichaeorum igitur indulgentiae initio ea erant Electorum actio, qua per preces suas Auditoribus certi cuiusdam peccati veniam impetrabant, quando nempe quis Dei substantiam naturae mixtam laeserat.

Deinde Manichaeorum Electi non ex eodem fonte, quo catholicae ecclesiae episcopi, potestatem peccatorum veniam distribuendi derivarunt. Permagna quidem Electorum auctoritas et gloria erat, at non tam immensa eorum sanctitas putabatur, ut ex eius ramentis thesaurum conficere potuissent, è quo, tanquam e taberna mercatoria merx vendibilis, cuilibet postulanti, simulac necessarias pecunias solvisset, peccatorum remissio

---

bonorum operum gratia meritum sibi reconciliationis apud Deum collocare." — Catholici similiter docent, Deum in scriptura sacra saepius bonis operibus mercedem promisisse (Mat. 10, 42. 2 Tim. 4, 7. 8, Rom. 2, 6.), itaque nos illis faciendis aliquid promereri, censendum esse; non quo per se eiusmodi facta divinam gratiam parent, sed quoniam Deus iis promissa adiunxerit, quibus stare debeat.

16) Vide §. 24.

daretur. Sed ex Manichaeorum sententia Electi e copia divinae clementiae ac potestatis eius, quae iis a Deo per Menetem Paracletum et Christi praecipuum apostolum commissa erat, peccantibus veniam dare poterant. Nemo quidem negabit, eos in eo errasse, quod ex hominis pietate, etsi perquam insignis esset, potestatem et jus sequi censerent, aliorum minus religiosorum culpam delendi; is tamen error nondum illam, fere dicerem amentiam ecclesiae catholicae adaequat, quae de thesauro quodam e virtute supervacanea quorundam hominum confecto, tanquam de cibo e divitum opulentis ferculis corraso, quo hominum sua culpa egenorum fames satietur, nugas improbas agit.

Denique si consilium spectas, quod utraque pars in indulgentiis dandis sibi proposuit, Manichaeos ecclesiam catholicam vel excellere videbis. Ut enim iam supra indicatum est, episcopi eius hominibus poenas remittere solebant, ut ecclesiae auctoritatem conservarent et augerent; sequioribus autem temporibus, quum pecunia indulgentias emere liceret, uberrimus ecclesiae fons aperiebatur, e quo immensas divitias hauriebat; et remissione peccatorum, cuius potestatem Iesus Christus tanquam sacrum pignus et pie colendum donum discipulis reliquerat, quo animos dolore fractos erigerent, ecclesia catholica ad turpia lucra facienda utebatur. Manichaei autem, licet perversa ratione, sublime aliquid sequi sibi vide-

bantur; divinam enim substantiam a materia ligatam solvere studebant, neque unquam, et ne eo quidem tempore, quo primos fines transgressi omnis modi peccatis indulgentias largiebantur, iis opes sibi colligere volebant, sed ex instituto suo non nisi cibos et panem quaerebant, ut inde Deum liberarent.

Videmus ergo Manichaeorum et Catholicorum indulgentias in eo tantum similes fuisse, quod utrisque pro oblatis donis peccata deleri putatum sit in quo tamen ecclesia catholica externa commoda expetiit, Manichaei vero magnum, quem Deus mundi creati instituerat finem pro viribus suis maturare studentes in errorem inciderunt, a nobis hisce paginis descriptum.

APPENDIX.

EPHRAEMI SYRI
HYMNORUM ADVERSUS HAERETICOS SECUNDUS.

Opp. Syr. Tom. II. p. 439.

Praemonenda.

De *metris* Syrorum et de *scansione* ac *licentiis metricis* docte et uberrime egit, qui primus metrices Syriacae regulas invenit, clariss. Hahnius in commentatione *de Bardesane* pag. 32 – 51. Idem *Chrestomathiae suae Syriacae* paulo post editae pag. XI–XVI nonnullas „*observationes prosodicas*" praemisit, quae ea, quae in priori libello desunt, supplerent. Itaque supersedebimus, ea, quae ibi melius dicta sunt, quam nos dicturi essemus, describere; praesertim quum haec viris Syriacarum litterarum studiosis jam nota esse, jure sumere possimus. Pauca igitur tantummodo praemonende videntur, quae externam hujus carminis formam illustrent.

Inter omnia Syrorum metra, quae illustriss. Hahnius l. c. enumeravit, nullum invenitur, cui hic noster hymnus prorsus respondeat; procul autem dubio ei classi adnumerandus est, quae a Bardesane nominatur[1]), cujus metrum est pentasyllabum et cujus strophae duodenis versibus constant; nostri tamen hymni strophae undenos tantum versus habent. In illis *carminibus Bardesaniticis* duodecimus versus doxologiam plerumque continere solet, quae modo primae tantum strophae adscripta, et in caeteris strophis repetenda est[2]), modo plane omittitur, ita ut strophae ex undenis versibus tantum compositae sint, quibus ipse coetus, aliquo praeeunte, doxologias usu notissimas addidisse videtur. Quod igitur ad strophas attinet, hic hymnus Bardesaniticis fortasse adnumerandus est, sed simul ex singulari quodam carminum genere metrico esse videtur, hucusque nondum observato. Namque 1) ex argumentis singularum stropharum non admodum verisimile est, doxologiam iis fuisse adjectam, quum in iis carminibus, quae Hahnius describit, stropharum sensus is esse soleat, ut doxologicum additamentum optime accipiat: 2) per omnes XXIII hymni strophas, si unicam decimam excipias, *septimus versus heptasylla-*

1) Hahn. *l. c. pag.* 33. sed cf. p. 47.

2) *Ibidem pag.* 37.

bus caeteris pentasyllabis intermixtus semper redit. Reperiuntur quidem alii quoque hymni, quorum strophae variis metris aptatae sunt [3]), tetrasyllabis, pentasyllabis etc.; neque tamen in his talis animadvertitur simplicitas, qualis in nostro, ita ut unus tantum versus a reliquis syllabarum numero discrepet certumque locum obtineat. — Est igitur hoc carmen e genere δικώλων, quorum metrum duplex est.

Haec de metro sufficiant; quibus nonnulla de modo versus legendi addimus. Versus pentasyllabi conveniunt cum versibus Graecorum in antiquissimis, quos habemus, Christianorum hymnis, qualis is est, quem Clemens Alexandrinus in fine „*paedagogi*" sui, in Christi honorem compositum servavit. Rhythmus et scansio plerumque sponte se offert, et tonus in prima et quarta syllaba quiescere solet. Versum septimum ita optime leges, quasi Anacreonticum versum recites.

Nonnullas strophas mutilas et corruptas invenies, neque id miraberis, si audiveris, quae editores operum Ephraemi de codicum conditione narrant. „Nec inde minor difficultas," Petr. Benedictus in praefatione ad lectorem inquit, „quod litteris decem saeculorum usu detritis non modo integrae syllabae, sed etiam voces exciderant, nudaeque tantum areae uti in calvitiis et

---

3) Vid. *Hymn. adv. haeret. 34. 36 37. et all.*

glabretis fieri solet, exstabant.“ Idem addit, se hoc vitium multo labore emendare, et ex ipsa orationis structura et compage deprehensos defectus explere conatum esse, neque tamen „vastos hiatus implevisse, quod sola exemplarium collatione fieri possit.“ Quae difficultas eo adaugetur, quod in textu nusquam ullo signo indicatum est, ubi aliquid excidit: unde facile intelligitur metri accuratam cognitionem perquam necessariam esse inprimis ei, qui Ephraemi operibus Syriacis operam navat, ut mutila a perfectis distinguere queat. Nonnullis in locis mutilis **Benedicti** versio plura habet, quam textus Syriacus; haud temere igitur suspicatus mihi videor, istum ob nimiam laboris celeritatem quaedam praetermisisse, quae ex versione, quoad ejus fieri potuit, restituere conati sumus. Ubi vero ne hoc quidem praesidium lectorem juvat, nihil nisi codicum Nitriensium ipsorum Romae asservatorum collatio damnum resarcire potest.

I. ܡܢܘ ܕܝܢ ܟܢܫܗ ܕܕܝܨܢ [1]
ܒܢܘܗܝ ܠܒܪ ܕܝܨܢ.
ܚܙܩ [2] ܒܗ ܒܒܪ ܕܝܨܢ
ܢܛܪ ܡܢܗ ܕܝܨܢ.
ܘܠܐ ܗܘ ܪܗܛ ܐܫܬܦܝ [3]
ܦܩܕ ܠܗܕܐ ܘܐܝܬܝܗ.
ܠܡܪܘܡܘܗܝ ܡܪܕ ܐܫܬܝ ܕܢܦܫܗ ܬܘܗ
ܠܫܡܗ ܕܒܢܘܐ ܗܘܐ
ܡܪܕܗ ܒܦܘܪܫܐ. [4]
ܡܐܢܐ ܗܘܐ ܡܐܢܐ
ܡܕܠܐ ܠܟܠܗܘܢ.*

---

1) Nomen est fluvii parvi prope Edessam fluentis, qui aliquando regionem adjacentem inundavit et vastavit. Nomen sine dubio derivandum est a ܕܨ, *saliit, exsiluit* (cf. Ephr. T. III. p. 211. A. 214. A.) a Graecis nuncupatur Σκίρτος, verso in ipsorum linguam Syriaco nomine.

2) ܚܙܩ 1, *abiit* 2, *cinxit*, h. l. seq. ܒ significat: *congruit*.

3) Elegantiam Graecorum, qui participio verbum annectunt, Syri ita reddunt, ut utrumque verbum ἀσυνδέτως in eodem tempore ponant. cf. Mat. 2, 8. ܐܙܠ ܐܣܓܘܕ ἐλθὼν προσκυνήσω.

4) His verbis Ephraemus diabolum depingit, haeresium auctorem.

II. ܗܘܐ ܡܫܡܫ ܡܠܟܘܬܗ
ܕܡܠܐܟܐ ܒܟܠ ܙܒܢܝܢ
ܡܢܝܚ ܒܥܝܢ ܠܟܠ ܕܐܡܝܢܘ
ܡܛܠ ܠܢܦܫ ܢܘܡܐ
ܡܠܐܟܐ ܒܪܘܚܐ ܐܢܘܢ
ܕܠܐ ܡܬܡܫܚܢ ܦܓܪܢ.
ܢܗܘܐ ܘܢܩܘܡ ܠܟܠ ܡܫܡܫܢ
ܒܗܕܪ ܦܓܪܘ ܫܒܝܢ.
ܘܐܙܕܩ (5) ܕܢܫܬܡܫܘܢ
ܕܢܝܚ ܗܘ ܡܪܐ ܡܫܡܫ
ܢܗܘܐ ܠܢܦܫܬܐ.*

III. ܠܪܥܝܢܗܘܢ ܥܩܡܘܗ (6)
ܠܡܠܟܘܬܗ ܕܫܪܪܐ
ܕܡܠܟܐ ܠܡܠܟܘܬܗܘܢ

---

5) ܐܙܕܩ *justum*, *aequum*, *conveniens fuit*. Apud Ephr. particip. ܙܕܩ significat: *convenit*, *licet*, *par est*, et const. c. seq. ܕ aut futur. cf. Ephr. Tom. III. p. 365. ܠܐ ܒܥܐ ܙܕܩ ܕܢܬܒܨܐ *nec scitari licet*.

6) 3. pers. plur. masc. c. suffixo fem. sing. quod ad ܡܠܟܘܬܗ trahendum est; plena ejus suffixi forma foret haec ܥܩܡܘܗ *torserunt eam*. cf. Oberleitner elem. ling. Syr. pag. 113.

ܕܢܚܐ ܐܦ ܒܠܚܘܕܘܗܝ.
ܢܣܒܘܗܝ ܒܢܝ ܥܡܐ
ܡܛܪܐ ܕܐܢܫܘܬܐ.
ܘܕܢܗܘܘܢ ܕܬܪܝܢ ܬܠܬܐ ܘܐܬܟܢܫܘ[7]
ܗܘ ܕܐܬܐܡܪ ܒܟܬܒܐ.
ܡܫܬܡܥ ܕܡܟܝܟ ܟܠ
ܕܛܒ ܗܘ ܡܫܝܚܐ ܟܠ
ܒܫܡܝ ܡܫܝܚܐ ܠܝ*

IV. ܕܒܐܒܗܘܢ ܕܩܠܝܪܘܣ
ܗܘ ܕܐܬܬܢܝܚ ܘܢܛܐ.
ܐܦ ܗܘ ܡܫܝܚܐ ܟܠ
ܒܫܡܝ ܡܫܝܚܐ ܠܝ.
ܫܒܩܗܘ ܕܒܦܘܪܥܢܐ
ܕܠܚܡܐ ܢܣܒܘܢ.
ܢܟܐ ܒܪܗ ܕܒܘܟ ܡܟܣܫ ܠܝ.
ܦܪܐ ܐܝܟ ܦܪܥܐ
ܢܗܘܐ ܗܘܐ ܒܛܒܥܬܐ.
ܘܒܛܠܒ ܠܢܒܘܬܐ
ܒܫܘܚܐ ܕܟܪܣܐ[8] *.

7) Alludunt haec ad Christi verba Mat. 18, 20.

8) Proprie: *in munere ventris* i. e. *ventris commodo serviens, ventris gratia.*

V. ܠܐ ܬܬܒܥܐ ܡܢܝ
ܕܠܐ ܬܘܒ ܢܫܬܐܠ.
ܡܢܐ ܗܘ ܪܒܬܐ ܕܝܠܢ
ܫܘܒܚܗܘܢ ܡܪܒܐ
ܝܕܥܬܗ ܡܫܘܫ ܠܗ.
ܪܒܐ ܕܡܣܪܬ ܠܗ
ܗܘ ܕܢܒܥܐ ܠܒܘܪܫܗ ܡܫܝܚܐ,
ܘܗܘ ܟܠܗ ܗܘܐ ܒܪ ܐܢܫ
ܕܐܬܐ ܠܚܝܘܬܢ.
ܐܦ ܐܢܐ ܪܒܐ ܗܘܝܬ ܒܗ
ܕܒܘܪܫܐ ܗܘ ܕܠܐ ܡܟܝܠܐ.*

VI. ܐܢܬܬܐ ܠܫܒܬܝܐ 9)
ܡܠܦܬ ܕܢܫܝܗܘܢ
ܐܘܪܚܐ (* ܘܐܠܨ ܐܢܝܗ.
ܟܠܐ ܒܘܪܫܐ ܕܟܠܐ ܒܐܠܨ

9) Sectae Sabbaticorum s. Sabbatneorum, quae hic memoratur, nullibi mentio hucusque facta est. Neque ex hoc loco satis liquet, quinam illi Sabbatici fuerint, et quos ritus habuerint. Nomen eorum a ܫܒܬܐ *sabbatum* derivandum videtur. Simulque videmus, foeminam eorum concionibus praefuisse, et in iis fecisse, quae mulierem non decent.

*) Sic legendum puto, pro ܐܘܪܚܝ, quod in nostra editione scriptum est.

ܢܪܦܬ ܠܒܢܝܗܘܢ

ܒܫܘܬ ܕܡܥܒܕܝܢܘܗܝ.

ܠܐ ܟܝ ܕܐܢܐ ܟܢܫܐ ܘܡܢܝܢܗ.

ܐܦ ܩܘܩ(10 ܠܩܘܩܝܐ

ܙܪܐ ܗܘܐ ܕܡܢܗ

ܕܩܘܩܐ ܠܟܠ ܐܢܫ

ܣܦܝܩܐ ܒܩܘܠܒܝܗ.*

VII. ܗܢܘ ܕܡܕܪܫܐ

ܕܒܪ ܩܘܡ ܒܥܠܝܟܝ ܐܢܝ(11

---

10) ܩܘܩ 1, *vas.* 2, h. l. *nom. propr.* auctoris sectae cujusdam. A prima significatione derivatur ܩܘܩܝܐ *figulus*; unde plur. ܩܘܩܝܐ Cuchitae nomen illius sectae, contra quam Ephraemus carmina confecisse dicitur Assemani B. Or. T. I. pag. 121. 122. 166. — Neque haec secta quaenam fuerit, satis clarum est; Ephraemus enim nomen, et auctorem ejus tantum dicit. Fortasse aliud est nomen Manichaeorum vel sectae cum iis conjunctae. Epiphanius haer. 66, c. 1. p. 617. ed. Petav. de nomine Manetis loquens: „ὡς μὲν αὐτὸς ᾤετο," inquit, „κατὰ τὴν τῶν Βαβυλωνίων γλῶτταν δῆθεν σκεῦος ἑαυτῷ τὸ ὄνομα ἐπέθετο· τὸ γὰρ Μάνη ἀπὸ τῆς Βαβυλωνίας εἰς τὴν Ἑλληνίδα μεταφερόμενον σκεῦος· ὑποφαίνει τοὔνομα." ܡܐܢܐ enim sign. vas, σκεῦος; et ܩܘܩ eandem significationem habet.

11) Missis jam singulis sectis eorumque placitis,

ܟܢܫܐ ܗܘ ܕܟܠ ܐܢܫ

ܒܪܘܫܡܐ ܕܐܒܗܬܐ.

ܘܐܦܢ ܒܗܘܢ ܦܘܠܓܐ

ܡܫܡܗܐ ܕܦܠܓܘܬܐ.[12]

ܗܘܝܘ ܟܢܪܐ ܕܢܨܝܢ[13]

ܡܢܘܬܗܘܢ[14] ܒܡܠܬܗܘܢ.

ܕܠܐ ܡܠܟܢ ܠܟܢܪܐ

ܡܢܬܐ ܕܐܘܡܬܐ

ܕܐܘܡܢܘܬܗ ܠܟܠܐ ܗܘ.*

VIII. ܘܐܡܪܗ ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ

ܡܟܠܗܘܢ ܕܡܟܠܬܐ.

Ephraemus de omnibus simul loquitur, eosque, licet nomine nonnullisque caerimoniis inter se differant, in principiis pares esse, ostendit.

12) ܦܠܓܘܬܐ est vox in lexicis desiderata, et sign. *seditionem*, *discordiam*.

13) ܢܨܝܢ (a ܢܨܝܐ) *contentiosus*, *litigosus*: de chordis lyrae, quae non concordant, et quasi contendunt inter se, significat: *dissonus*.

14) ܡܢܬܐ hoc loco foeminino genere est positum, quod ex adjecto ܢܨܝܢ apparet; usitatior hujus vocabuli forma feminina est ܡܢܬܐ

ܘܪܘܝܘ ܒܥܕܢ ܬܐܠܬܐ(15)
ܟܕ ܒܥܕܢ ܡܠܟܐ ܩܡܘ.
ܟܪܝܬܐ ܗܘ ܡܪܬ ܐܢܘܢ
ܒܥܡܐ ܕܚܠܘ(16) ܡܢܗ.
ܢܒܟܐ ܚܙܐ ܒܚܘܒܗ ܘܐܬܬܐܐ.
ܘܫܒܩ ܒܚܪܝܒܐ
ܕܐܐ ܕܐܡܪܘܗܝ.
ܕܕܚܠܐ ܕܠܐ ܢܚܒ
ܡܠܟܐ ܒܐܕܢܝܗܘܢ.*

IX. ܘܐܫܬܪ(17) ܡܠܟܐ ܐܢܘܢ
ܒܥܡܐ ܒܫܘܒܗܪܗ(18)
ܘܢܦܩ ܛܒܐ ܐܢܘܢ
ܒܬܫܒܚܬܗ ܕܚܪܝܒܐ.

---

15) ܬܐܠܬܐ *faeces* ap. Castell., fortasse ortum est e Romanorum *sicera*.

16) ܕܚܠ significat non solum 1, *veneratus est*, sed etiam 2, ut h. l. *timuit*, *veritus est*. Pa. *terruit*.

17) ܫܬܪ *carminavit*. Aph. h. l. *superbire fecit*, *inflavit*. unde pl. ܡܫܬܪܝܢ *superbi* Luc. 1, 51.

18) ܫܘܒܗܪܐ *gloriatio*, *superbia*. Derivandum est a verbo ܫܒܗܪ, quod aut Schaktel est formae obsoletae ܒܗܪ, aut verbum quadrilitterrum.

ܘܢܣܒ ܘܪܙ ܒܗܘܢ
ܙܘܥܬܐ ܕܡܪܘܬܐ

— — — — — —

[19] — — — — — —
ܘܕܝܢܐ ܕܟܠܗܝܢ ܗܘܐ
ܟܠܗܘܢ ܫܠܛܘ ܡܢܗܘ ܗܘܐ
ܩܕܡ ܝܢܝܩܬܐ.*

X. ܕܡܫܟܢܐ ܐܬܟܢܫܘ
ܘܠܐ ܒܥܘ ܕܢܫܟܚܘܢ [20]
ܒܗܕܡܐ ܒܫܝܢܐ.
ܘܕܝܠܐ ܫܛܝܐ
ܕܠܐ ܡܠܘܟ ܡܫܟܚ ܠܗ

---

19) Justus metri ordo, qui per totum carmen cernitur, hic primum ita interruptus est, ut versus septimus (heptasyllabus), et octavus (pentasyllabus) exciderint. Quum vero P. Benedictus praeter ea, quae in textu Syriaco leguntur, haec etiam habeat: „postquam mentem iis ademit;" omissum versum septimum ex conjectura ita restituere conati sumus: ܘܢܣܒ ܡܢܗܘܢ ܪܥܝܢܐ, an id recte fecerimus, codices docebunt.

20) ܒܥܐ *petiit*; h. l. secundum versionem P. Benedicti: *examinavit*; quae significatio in forma Ethp. hujus verbi notissima est. cf. Esr. 10, 16.

ܡܪܝ ܠܒܥܠܕܒܒܘܗܝ

— — — — — — — —

ܕܝܬܒ ܠܐ ܗܘ ܡܩܒܪܗܘܢ

ܣܟܠ ܠܗܘܢ ܕܝܢ ܡܩܒܠܐ

— — — — —

[21]— — — — —

XI. ܐܘܠܐ ܓܠܐ ܐܦܘܗܝ[22]

ܘܢܩܦ[23] ܡܪܕ ܗܘܐ

ܡܠܘܗܝ ܕܐܦܪܝ

ܒܦܠܓܡܐ ܡܩܒܠܐ.

ܡܫܪܐ ܒܫܡܥ ܗܘܐ ܠܗ

[24]— — — — —

---

21) In hac stropha tres iterum versus, septimus, et decimus cum undecimo exciderunt; ita tamen, ut loci sensus nil detrimenti inde caperet. Benedictus hos versus in codice aut non legisse aut omisisse videtur.

22) ܐܦܐ ܓܠܐ *faciem revelavit, tegumento nudavi,* i. e. *insolenter egit, frontem attulit.* Bened.

23) ܢܩܦ tanquam terminus technicus usurpatur de iis, qui *haereticos errores profitentur.* cf. Ephr. T. II. p. 444.

24) Neque hanc lacunam explere possumus, quum Benedictus eam praetereat; ex totius vero loci

ܡܫܠܐ[25] ܡܩܒܠܐ ܠܚܘܒܠܒܠܐ

ܘܢܟܠܐ ܕܠܡܚܒܠܘܗܝ

ܕܒܗܘܢ ܢܒܢܘܢ ܗܘܐ

ܡܫܬܐ ܘܕܪܐ

ܐܚܝܕܐ ܒܝܕ ܦܘܡܗܘܢ*

XII. ܥܠܐ ܡܢܐ ܫܘܪܐ

ܣܠܝܚܐ ܒܣܠ̈ܚܬܗ[26]

ܐܦܝܣܗܘ ܢܟܠܐ

ܕܫܘܦܠܐ ܡܪܡܐ ܗܘܐ

ܕܢܣܒܐ ܠܨܘܪܬܗ

ܘܢܬܠܐ ܒܕܡܘܬܗ[27]

ܘܡܛܠܐ ܕܦܠܓ ܦܘܫܩܐ ܚܢܝܦܐ ܠܗ

ܠܐ ܕܢܟܠܗ ܒܟܠܗ

---

indole verisimile est, excidisse aliquid, quod ad codicis sacri interpolationem et corruptionem per haereticos spectat.

25) Hujus vocis prima syllaba producenda est et ita pronuntianda: ܡܫܠܐ cf. Hahn. chrestom. p. XVI. no. II.

26) ܣܠܚܘܬܐ *impudentia* pl. ܣܠ̈ܚܬܐ *scelera, crimina.* cf. Ephr. T. III. p. 287. D. p. 360.

27) Opposita sibi hic sunt vocabula ܨܘܪܬܐ *pictura* (Original) et ܕܡܘܬܐ *similitudo* (Copie); ita tamen ut huic voci foeditatis significatio inhaereat.

ܡܠܐ ܐܦܪܗ ܠܟܠܗ.

28) ܢܦܩܘܢܗܘܢ ܠܩܛܓܪܝܗܘܢ

ܡܦܩܝ ܕܠܐ ܚܙܝ.*

XIII.

ܘܐܦ ܗܘ ܚܠܦܝ ܚܕܐ (29

ܕܡܢܝ ܓܢܒ ܘܚܛܦ

ܘܛܡܪ ܒܓܘ ܡܟܠܗܘܢ.

ܕܚܙܐ ܠܗ ܕܠܐ ܢܦܪܘܣ

ܚܕܐ ܕܢܣܒܬܗ

ܒܟܬܒܐ ܕܡܦܩܢܘܬܗܘܢ

ܩܠܐ ܕܓܢܒ ܚܛܦ

— — — — —

ܢܛܥܐ — ܠܟܢܘܬܗܘܢ. (30

---

28) ܩܛܓܪܝܐ Graecorum est *κατηγορία*; sicut radix quadrilitterra ܩܛܓܪ Graecorum *κατηγορεῖν* respondet.

29) His verbis Ephraemus indicat ea scripturae sacrae loca, quae haeretici in suo canone retinuerunt.

30) Hunc locum corruptum esse, quis non videt? Primum in septimo versu syllaba desideratur; et nisi ad conjecturam nos vertere volumus, in voce ܕܓܢܒ prima syllaba rursus producenda est: dĕganabh; ܕ enim praefixum nonnunquam ita producitur, ut in hymn. 25 adv. haeret. p. 495. ubi in versu heptasyllabo occurrit. Deinde vero vers,

ܕܡܠܟܘ ܗܘܘ ܦܘܩܕܢܐ
ܡܟܝܠ ܗܘ ܕܡܬܒܥܐ܀

XIV. ܠܐ ܡܘܕܝܐ ܟܦܘܪܐ

ܐܝܬܐ ܒܣܦܪܝܗܘܢ܂
ܟܝ ܣܗܕܝܢ ܗܢܘܢ
ܠܡܫܝܚܐ ܕܫܡܥܝܢ ܒܗ܂
ܐܘܕܝܘ ܕܐܝܬ ܡܫܝܚܐ
ܗܢܘܢ ܠܗܘܢ ܟܬܒܝܢ܂
ܟܕ ܟܦܪܝܢ (31) ܒܟܠܗܘܢ ܥܡ ܠܒܐ܂
ܫܠܚܘ ܒܬܟܝܗܘܢ
ܡܗܦܟܘܗܝ ܘܠܐ ܐܪܫܝܘ
ܒܟܠܐ ܠܟܪܝܐ
ܐܘܕܝܘ ܒܟܘܪܣܝܗܘܢ (32)܀

---

octavus deest, et nonus una syllaba caret; conati igitur sumus ex versione Bened. locum ita restituere.

[ܕܠܟܠܗܘܢ ܐܬܡܣܟܢܘ] v. 8.

ܠܡܬܟܠ [ܗܘ] ܠܟܬܒܝܗܘܢ܂ v. 9.

Bened. enim vertit: „vocabula surripuit, sensum mutavit, ut alumnis suis qualecunque fundamentum praestrueret.“

31) ܟܦܪ 1, *abnegavit* constr. c. ܒ, ut omnia verba confitendi et abnegandi, 2, *discors est*; quia qui aliquem abnegat, cum eo non consentit.

32) ܟܘܪܣܐ *quaternio chartarum* Castell. Hoc loco

XV. ܟܕ ܫܡܥܘܢ ܕܡܫܝܚܐ
ܡܪܬܐ ܕܫܡܝܐ ܙܟܐ.
ܒܫܘܒܚܐ ܐܬܐ ܩܕܝܫܐ
ܕܟܕ ܕܢܚܐ ܡܠܟܘܬܗ.
ܡܫܡܫ ܒܟܝ ܐܢܬܝ
ܫܘܕܐ ܠܥܡܝ ܡܠܘܗܝ.
ܘܟܕ ܡܫܡܫ ܗܘܐ ܥܡ ܟܗܢܐ
ܩܕܝܫܐ ܕܦܬܐ ܠܝ ܕܟܝ.
ܕܟܕ ܡܫܠܡ ܫܠܡܐ
ܥܡ ܟܗܢܐ ܒܫܡܫܘܬܗ
ܥܡܗ ܒܡܠܟܘܬܗ ܗܘܝ.*

XVI. ܡܫܝܚܐ ܕܐܝܟ ܩܕܝܫܐ
ܡܠܟܘܬܗ ܒܢܝܢ ܢܦܫܝܢ.
ܟܠܗ ܢܟܗ ܘܫܟܪܘ
ܕܠܐ ܐܝܟ ܗܘܐ ܩܕܝܫܐ [33]

— — — — —

— — — — —

---

* Pentateuchus sub hac voce intelligendus est. E suffixo enim videmus, sermonem ad Mosen spectare.

33) Post haec verba nonnulla excidisse, non solum metrum, sed etiam protasis apodosi carens docet.

ܛܒ ܐܝܬ ܗܘܐ [34] ܕܒܪܢܫܐ ܕܠܐ ܡܪܕܘ.
ܗܢܘܢ ܠܗܘܢ ܡܫܝܚܘ
ܕܫܡܫܘ ܫܪܝܪܘ ܫܡܝܐ.
ܘܢܚܪܘܗ ܒܟܠ ܡܠܐ
ܕܢܒܝܘܗܝ ܐܝܟ ܗܘ.*

XVII. ܐܝ ܕܝܢ ܗܟܢܐ ܐܢܫ
ܘܫܡܫ ܠܡܘܪܝܐ.
ܒܢܝܐ ܕܡܘܪܝܐ
ܥܡܝܩ ܡܠܟܗ ܒܢܝܢ.
ܐܦ ܕܩܒܠܗ ܕܡܠܟܗ
ܟܡܐ ܕܡܘܪܝܐ.
ܘܡܢ ܗܘ ܩܠܝܠܐ ܕܐܬܩܫܦ
ܚܝܐ ܗܘ ܘܡܢܐܚܐ ܟܠ
ܡܢܐ ܗܘ ܠܒܢܝܗ.
ܘܟܐ ܕܐܬܩܫܝ ܒܐܘܪܗ
ܡܢܚܐ ܒܫܪܝܢܗ.*

---

34) Verbum substant. ܗܘܐ si praeterito adjicitur, hoc plerumque in plusquamperfectum vertit Mat. 26, 48. sive interdum in imperfectum Luc. 6, 39. At saepissime pleonastice assumit verbum ܐܝܬ. Mat. 19, 22. ܐܝܬ ܗܘܐ erat. cll. Luc. 10, 39. 24, 1. Mat. 4, 18. 22, 25. 24, 1. —

XVIII. ܗܘܢ ܢܦܩ ܦܘܫܩܐ

ܕܚܫܘ ܠܟܬܒܐ

ܦܫܘ ܗܘܘ ܒܦܠܓܘܬܗܘܢ

ܬܘܦܣܐ[35] ܕܗܪ̈ܛܝܩܐ.

ܘܦܠܓܘ ܕܡܫܝܚܐ ܗܘ

ܐܦܠܓܘܗܝ ܡܠܟ ܒܟܠܗ

ܒܟܠ ܗܘ ܢܫܡܐ ܕܦܫܘܩܘܗܝ.

ܢܫܡ ܗܘ ܠܦܫܩ

ܘܠܐ ܡܬܦܠܓܢ ܦܢܝܘ.

ܚܙܘ ܟܪܝܐ ܦܘܫܩܐ

ܚܟܝܡܐ ܗܘ ܘܢܦܩ ܠܗ.*

XIX. ܟܪܝܐ ܕܦܘܪ̈ܫܐ *)

ܙܒܢܐ ܕܩܘܕܝ ܒܟܘܒܗ

---

35) ܬܘܦܣܐ est Graecorum τύπος *figura*, *forma*. Ephraemus hoc vocabulo ut adverbio utitur, et significat ei i. q. *sicut*, et constr. c. seq. ܕ, cf. Ephr. T. II. p. 468. B. Alias ejusmodi adverbia ita formare solet, ut ܒ praefigat v. c. ܒܛܝܒܘܬܐ *gratia* str. IV. v. 11. ܒܚܟܝܡܬܐ *sapienter*, *scite*. str. XV.

*) Hahnius (*Evangel. Marcions* p. 35.) suspicatur, Ephraemum hisce versibus contra Marcionitas potissimum agere, qui scripturam sacram mutilaverint.

ܣܡܡܐ ܠܡܫܠܡܢܘܬܐ

ܕܬܪܬܝܢ ܕܝܬܝܩܐ.

ܠܩܘܒܠܐ ܕܚܕܬܐ ܠܚܡܪܐ

ܐܬܦܣܩܘ ܕܠܐ ܐܘܣܦܘ.

ܕܢܫܬܠܡܘܢ ܥܡܳܪܳܐ ܡܪܩܝܘܢ.

ܕܢܣܐ ܠܡܒܝܫܬܐ

ܕܪܐ ܒܡܬܝܬܘܬܗ

ܢܡܪܐ ܒܡܫܩܝܘܬܗ 36)

ܡܦܪܢ 37) ܒܡܬܝܬܘܬܐ.*

XX. ܡܢܘ ܕܝܢ ܩܢܘܢܐ ܠܬܘܕܝܬܐ

ܠܬܪܬܝܢ ܕܝܬܝܩܐ

ܕܐܬܦܪܫܘ ܘܐܬܦܠܓܘ

ܘܗܘܘ ܟܢܫܐ ܩܕܝܫܐ.

---

36) Marcion parabolam, quam Christus in ev. Luc. 5, 37. finxerat, ita interpretatus est, quasi Christus docuérit, evangelium suum cum vetere testamento plane non congruere, et hoc veteris utris instar ruptum esse. Quam parabolam Marcion ita mutavit, ut vetus testamentum diruptam cisternam appellaret. cf. Hahn. l. c.

37) Hoc verbum Michaelis falso suspectum habet, ut ex hoc loco videmus; significat autem: *rupit*, et constr. c. ܒ. Secundum Hahnium I. c. sensus verborum est: nova Marcionis doctrina ita est comparata, ut diu manere non possit.

ܡܢܗܘܢ ܒܫܡܗ ܘܢܫܒܚ
ܘܪܚܡܘ ܠܒܪܗ ܫܒܪܐ.
ܒܫܡܗ ܗܘܐ ܢܣܒܘ ܦܘܪܩܢܐ ܕܟܠܗܘܢ
[ܦܪܩ ܐܢܘܢ ܘܚܠܨܗ]
[ܦܩܕܐ ܘܚܢܢܐ ܦܘܪܩܢܐ] 38)
ܘܡܛܠ ܗܢ ܦܘܫܩܬܐ.
ܕܢܦܫܬܐ ܕܠܗ ܡܠܟܬܐ
ܕܢܦܫܗ ܡܢ ܗܘ
ܒܫܡܝܐ ܕܗܘܕܝܬܐ.*

XXI. ܠܐ ܐܝܬ ܦܘܪܩܢܐ

ܠܫܒܪܐ ܕܦܪܝܩ ܒܗ
ܘܠܒܪܗ ܒܢܦܫܬܐ
ܕܠܐ ܐܝܬ ܠܗ ܩܕܫܐ
ܘܠܐ ܐܝܬ ܠܗ ܐܒܐ
ܕܬܪܬܝܢ ܕܐܠܗܘܬܐ.
ܡܢܗ ܚܝܐ ܠܢܦܫܬܐ ܡܫܒܪܐ
ܕܠܐ ܐܝܬ ܠܗ ܐܒܐ
ܘܠܐ ܐܝܬ ܠܗ ܩܢܝܐ

38) Stropha vicesima duobus versibus redundat; uncis igitur inclusimus eos, quorum indoles spuria nobis visa est; repetuntur enim mutatis tantum verbis ea, quae antecedunt: huc accedit, quod versus nonus, duobus syllabis justo modo longior est.

ܠܫܘܡܠܐ ܗܘ ܕܢܘܗܪܗܘܢ

ܥܘܝܪ̈ܐ (39) ܘܣܡܝ̈ܐ*

XXII. ܥܒܕܐ ܚܠܦ ܐܡܪܐ

ܕܡܪܝ ܦܪܘܫܝ.

ܐܡܪܐ ܕܫܦܝܪܐ

ܦܫܘܫ ܗܘܘ ܡܫܠܡ ܫܦܝܪ(40

ܠܡܫܠܡܘ ܡܫܠܡ ܦܝܠܐ

ܐܡܪܐ ܕܫܦܝܪܐ

ܦܘܡܠܡܘܗܝ ܫܘܪ(41 ܡܠܐ ܡܢܗ ܡܠܡܠܘ

ܕܡܠܡܘ ܗܘ ܠܫܘܡܠܐ

ܡܠܐ ܕܡܠܝܠܐ.

39) Forma haec est inusitatior et longior pro ܥܘܪܐ coecus.

40) Ephraemus doctrinam ecclesiae catholicae, et haereticorum placita cum duobus corporibus vel eorum imaginibus pictis comparat; et ecclesiae corpus describit, tanquam justum membrorum ordinem et modum habeat; haereticorum corpus vero, deformitate et foeditate plenum esse dicit, eamque depingit.

41) Hic versus correpte pronuntiandus est, ita fere:

Ruchb°hún s°hed cmó srach bálbel;

de hac synaeresi vid. Hahn. *chrestom. l. c.*

ܘܡܠܟܠܗ ܒܒܪܗ ܫܦܝܪܐ
ܡܪܗ ܒܦܪܢܣܘܬܗ*

XXIII. ܠܚܢ ܟܪܬܐ ܡܥܘܪܢ

ܪܫܐ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ.
ܡܬܚܫܒ ܒܗܕܡܘܗܝ
ܡܫܬܡܥ ܒܦܠܓܘܬܗ
ܡܬܢܨܒ ܒܡܫܠܡܢܘܬܗ
ܡܬܒܠܐ ܒܢܝ ܢܫܘܗܝ
ܡܙܕܗܪܐ ܟܬܒܐ ܕܢܡܘܣܐ ܡܙܕܗܪܐ.
ܘܬܪܬܝ ܕܝܬܩܝ
ܐܝܟܘܢ ܫܠܝܚܐ
ܡܚܫܒܐ ܗܘܘ ܓܫܡܗ
ܢܒܝܐ [ܘܐܪܘܢܐ ܘܩܕܝܫܐ] ܠܗܕܡܘܗܝ[42]*

---

42) Hunc ultimum carminis versum corruptum esse, praeter metrum etiam argumentum nobis persuadet. Quinque enim syllabis, quae synaeresin non patiuntur, justum syllabarum numerum excedit. Deinde vero, quod ad alteram causam attinet, Ephraemus singula divinae oeconomiae instituta in religione nostra, tanquam membra corporis ecclesiae describens, Christum dicit caput, brachia duobus testamentis conformat, apostolos sensus appellat, prophetasque membra. Juxta eos in nostro versu etiam sanctos videmus; at Ephraemi tempore sancti, etsi magni aestimabantur, nondum tanto honore gaudebant, ut ad apostolos et prophetas aequiparari potuissent.

Antecedentis hymni versio.

I. Quis de nomine Desanis Bardesani nomen indidit? Congruit id (certe) magis Bardesani, quam Desani; non enim hic inundando carduos et zizania advexit. — Marcionem lavando magnificavit, ut eum aeruginaret, et acuit, ut eum obtunderet, is qui blasphemias eum docuit. — Manes fuit amiculus, qui suas attrivit vestes.

II. Et ecce canes Manetis hominem quemlibet invadunt, cuique obvio propter panem quotidianum abblandientes. Canes morbidi sunt, qui quum panis buccellas non inveniant, peccata et debita remittunt. Qua in re admodum rabiosi sunt, et digni, qui contundantur; quum unus tantum sit, qui peccantibus peccata remittere possit.

III. Ad arbitrium torquent verbum Veracis, qui discipulis suis potestatem dedit, semel tantum per aquas humanae naturae peccata expiandi; ipsisque concessit, ut solverent et ligarent, hunc vero, qui ligatus esset, jussit, eum precibus adire, qui omnia remittit; ut, qui omnia expiat, nos quoque ob dolorem nostrum expiaret.

IV. Namque par est, conturbari eum, qui animi languori deditus peccatis se obruit. Quodsi vero is, qui omnia remittit propter dolorem nostrum, etiam nobis (peccata) emittit, nugae sunt, quod illi pro panis frustulis nobis peccata remittunt.

Propheta ille, Busi filius, contra te vaticinatus est: „panis frustulis vaticinia vendunt, et inquinatis dant.“ Et sublata est poenitentia ventris gratia.

V. (Cave), puer, ne (his) confidas, ne operam perdas. Canna enim quassata est remissio eorum, nam qui peccatum condonare audet, illud adauget. Inerti quidem homini pravorum morum haec sapientia admodum placet. Neque profecto quisquam foret, qui in gehennam abiret; et mihimet ipsi arrideret hic mos minime laboriosus.

VI. Sabataeos mulier sibi subdidit, qui capita sua manui ejus submittunt. In solio, quod tribunali superstructum est, illa sedens eorum auribus insurrat, barbisque illudit. Quidni natura eam inhibuit et pudore suffudit? Imo et Cuchus Cuchitis mysterium praestitit sui nominis, eosque doctrina sua implevit amphoras vacuas.

VII. Illud tamen mirum est, quod, etsi sint pares, divisi tamen sint. Diabolus enim eos tibiis similes reddidit et in iis cantus discordiae tumultuosos cecinit. Haec est cithara, cujus fidium soni dissonant, neque in unum conspirant canticum concordiae. Atque earum artifex ille maledictus (i. e. diabolus) est.

VIII. Ceperunt arcus et eos omnes dolosos, et inebriati sunt una eademque faece, quam

sibi invicem infundunt et se profligant [1]). Ecclesia eos vocavit; diabolus vero eam extimuit, et quia sobrios in ea conspexit viros, ira incensus est; itaque liti mysteria zizaniorum suorum (i. e. inania mysteria) inclusit, veritus ne vox sua ad eorum (scil. doctorum ecclesiasticorum) aures manaret.

IX. Inflavit et implevit eos Diabolus superbia, iisque impressit sigillum seditionis eoque eos obsignavit; corruptosque transformavit in discordiae formam [P. Bened. addit: „postquam mentes iis ademit"]. Et quum viderent se rejectos [ab ecclesia], duplicarunt et miscuerunt et dederunt verba surrepta.

X. Auditores vero eorum excoecati membra abscissa cognoscere non studuerunt. Quum vero diabolus animadverteret, nunquam fore, ut placita ipsius invenirent fidem — — — quum manifestissimus esset eorum error, conjunxit ea cum veritate — — —

---

1) Haec imago de hominibus immodice vinum bibentibus et procumbentibus desumta est. Sensus verborum autem is est: dum haereticorum alter alter insanas doctrinas tradit, perniciem sibi invicem parant. Bened. „Viri unius recrementa biberunt; sensum illico abstulit temulentia. Faeces istas alter alteri miscuit, et ex ore suo in os alterius inflavit."

XI. Sic fronte sublimi incessit, et publice docuit, verbaque sua, veritatis (i. e. vel scripturae sacrae vel Iesu Christi) verbis illigata, comprobavit. Libros sacros amputavit — — — Astutiam suam (parendae) confusioni adhibuit, et dolo discipulorum suorum ad congregandos viles et eruditos simul in foveas suas, usus est.

XII. Erroris, quem in deformitate sua aspicere taeduit, fraudem sigillo veritatis impresso, dissimulavit [2]), ut speciem veram absconderet, et falsa effigie deciperet. Et quoniam eum (errorem) veritati surripuerat, neque prorsus verum neque prorsus falsum effinxit. Sed furta eum satis accusant, neque ulla amplius lis est.

XIII. Quin et id vitae fermentum, quod a nobis furatus abstulit, in suis dogmatibus abscondidit, veritus, ne vim ejus vitalem auditorum animis afflaret. Verba, quae surripuit et recepit, mutavit, ut discipulis suis [fundamentum] strueret. Labor eorum error fuit, et turris mox casura.

XIV. Ecclesia scripta illorum plane non agnoscit, quamvis ii scriptis apud ipsam depositis testimonium perhibent. Namque illi, Mosen esse, fatentes, se ipsos accusant. Et quum omnes inter se discordes sint, et scripta (sc. sacra) falsaverint, dant coronam — id non sentientes — pu-

2) Benedictus sensum bene reddit: „Haeresis in propria specie foedissima, despicatissima item fuisset."

ris (i. e. orthodoxis), qui ejus libros amplectuntur.

XV. Putarunt quidem, se magni aliquid invenisse, sed veritas eos scite circumvenit, ita ut verbis suis judicentur, et vindices ac testes contra sua propria verba fiant. Dumque se ipsi mutuo arguunt, veritas Gideoni similis est, siquidem, stulti se invicem caedentes et gladiis victi, illam coronant.

XVI. Veritatem esse omnes haeretici concedunt: utinam errantes opinati essent, nullam exstare veritatem! [3]) — — — Fortasse est aliquis, qui credit, eos illam ignorasse; sed ipsi se accusant, qui scripturam sacram truncarunt, et verba, quorum sensus unus tantum est, torserunt.

XVII. Si vero quis ausit membrum sibi abscindere, totus membrorum coetus resectum requireret et repeteret; imo et locus ejus (unde resectum est), membrum revocaret. Iam vero quum verbum abscissum vivum quidem sit et

---

3) P. Benedictus: „Quodsi ex falso credidissent, talem nullam reperiri, reponeret quis forsitan, ipsis fuisse incognitam.“ Haud recte verba conjunxit; namque ܐܝܟ ܠܡ sine dubio ad sequentia ita trahendum est, ut ea vel illam excusandi causam tollant. Benedictus pro arbitrio suo lacunam, quam in textu reperit, impleturus, verba ita conjunxit.

vivificans quemlibet, mortuum tamen ei est, qui id surripuit. Si autem suo loco redditur et legitur, vivificat.

XVIII. Hoc est corpus veritatis, quod haeretici mutilarunt, ejus dicta sicut membra amputantes. Quoniam autem haec ejus mensura integra et perfecta inventa est, (corpus) quod detrimentum cepit, (membra) ea, quae resecta sunt, requirit. Ibi quidem detrimentum cepit, neque tamen eo illi implentur [4]. In ecclesia enim veritas est, eaque perfecta et illam perficiens.

XIX. Ecclesia credentium magna est, ejusque sinus latus, ut plenitudinem duorum testamentorum capiat. Cisternae enim quassatae (haeretici) reprehensi sunt, quae aquam in se continere nequeunt. Vinum novitate sua scidit utres inveteratos, et novos asperitate sua rupit.

XX. Videntes ergo haeretici duo testamenta coagmentata et conjuncta in unum veritatis corpus, nonnulla inde amputaverunt et praeciderunt, aliaque compegerunt, et (ita) scripturas (suas haereticas) fabricati sunt; resecuerunt, nempe et praeciderunt historias bene adaptatas.

---

4) Benedict. nisi ad verbum, ad sensum saltem bene vertit: „Sed quia suas adhuc dimensiones retinet, persequitur, quae resecuere membra quamlibet diminuta; certe diminuta sunt, et ideo illos, qui absciderunt, non implent."

[dissolverunt scilicet et impleverunt interpolationibus, et quale hoc monstrum]. Quantumque est hoc deliramentum, quod corpus integrum ex illis laminis componere susceperunt.

XXI. Codex (eorum sacer), quem legunt, capite caret. Quale formarunt corpus, cui non sit caput, neque sint manus, (id est) duo testamenta? Quis tam deforme corpus vidit, quod manibus caret, caretque pedibus? Hoc corpus coecorum et contentiosorum pictorum (opus) est.

XXII. Manus in loco vaniloqui isti oculum pinxerunt; laevam manum stulti abscissam abstulerunt, et loco ejus pedem ibi (tanquam) aliam sinistram (manum) finxerunt. Haec eorum coagmentatio testátur, quam perverse egerint, qualemque induxerint confusionem, quum corpus doctrinae integrum mutilarent. Confusionem denique inducentes scripturam quandam in textibus suis turbatam condiderunt.

XXIII. Salve ecclesia! quae corpore doctrinae (verae) gaudes, ornata (i. e. bene composita) membris tuis, perfecta doctrinis tuis, credita in promissionibus tuis, et in victoriis tuis coronata. Veritas sublimae caput format, et extensas ejus manus duo testamenta; apostoli sunt ejus sensus, et prophetae [cum justis et sanctis] ejus membra.

Corrigenda.

Pag. 4 lin. 3 infr. post *Magiers* adde *Manes*.
— 17 — 2 supr. ante panis ponendum pro
— 19 — 16 supr. pro Menetis leg. Manetis
— 41 — 1 supr. pro aeteraum leg. constantem
— — — 3 infr. pro adoptavit leg. adaptavit.
— 47 — 8 supr. post facilius inserendum est: consuetudine cum
— 48 — 6 supr. pro faculas leg. fabulas
— 68 — 11 infr. pro impedipent leg. impedirent
— 75 — 9 infr. pro tristitam leg. tristitiam
— 79 — 3 supr. pro suparatum leg. separatum
— 84 — 5 infr. pro spetatur leg. spectatur
— 91 — 8 infr. pro arbitrinum leg. arbitrium
— 104 — 1 infr. pro dolos leg. dolor
— 168 — 6 supr. pro ܡܘܪ ܬܠܡܐ leg. ܡܘܪܬܠܡܐ
— — — 7 — pro ܕܢܫܐܠ ܡܘܗܝ leg. ܕܢܫܐܠܘܗܝ
— 169 — 3 supr. leg. ܦܫܝܩܘܬܐ
— 171 — 9 infr. pro Sabbaticoru ms. Sabbatnęorum leg. Sabaticorum s. Sabataęorum.